




B

CO

TI

næi

I



N historica relatione semestri anni superioris 1621. ad nundinas Francofortenses autumnales edita, facta est breuiter mentio supremi diei, quo Serenissimus Catholicus Rex Hispaniarum, ex hac lachrymabili vita commigrauit ad meliorem. Nunc, quia successu temporis, dictæ transitionis eiusdem Regis gen[...] scriptio cum circunstantiis, ad ma[...] peruenit, continens ad piam vitæ i[...] tionem, & quasi speculum ob oc[...] nens, tum vanitatem humanæ [...]

am
pa-
Ka-
en-
on
a-
id
m
a-
,
-
&

onsolationem traducat. ... uam igitur, &c.

BDORMIT... EGIS
Hispaniæ Ph...
tij...

...m quadra... timanam,
...male valere, ... aluit, non
...magnis morbi reliquiis. Qua-
...morbū ita recidit, vt Rex i-
pse,

pſe, ante omnes Medicos, morbum iſtum le- Anno 1621.
thalem fore animaduerteret. Fiunt igitur pro R[illegible] valetudine publicæ ſupplicationes, accerſitur Confeſſarius, atque ipſa intempeſta nocte, tertio Rex mandauit, ad ſe Patrem Florentiam Concionatorem regium vocari, qui cum R. P. Prouinciali Caſtiliæ ocyus aduolauit, ſecumque tulit chirographum B. P N. Ignatii. Poſtquam ingreſſi ſunt cæpit Florentia, aliis ſilentibus loqui, de imminenti morte, & quam diſpoſito animo Regem eſſe conueniret, cum vltima Dei voluntate: adeo vt omnibus adſtantibus lachrymæ excuterentur, ipſeque Regis Confeſſarius Patri Florentiæ gratias prolixe ageret, pro tam pio ſibi officio præſtito. Rex etiam *ipſe ad P. Florentiam conuerſus: Multa (inquit) tibi debeo Florentia, paratus ſum vel in hac hora compenſare tua tam ſalutaria monita, quibus me, pro concione ſæpius adhortatus es.* Reſpondit Pater; *Nihil eſt, quod à T. Maieſtate aliud deſiderem, quam ſi Deus vitam prorogarit, Rex diligenter attendat, vt bonis iuſta præmia, malis ſupplicia decernantur. Præterea emittat votum de extruendo ſacello,*

Anno 1621. *in honorem immaculatæ conceptionis B. V. Mariæ, agatque cum summo Pontifice, vt huius sententiæ veritas absolute definiatur.* Subiunxit Rex; *Nunquid meministi, te feria 4. Cinerum pro concione dixisse, forte aliquem ex Auditoribus præsentibus vel hac ipsa quadragesima, esse moriturum, quod tum mihi dictum sensi, & ecce morior? Sed nunquid saluabor? Post hanc interrogationem cœpit admodum tristari & animo angi, deque salute sua impense admodum sollicitus esse, ac* mox ad Confessarium cõuersus dixit: *Non est satis bona ratio curandæ salutis, quam hactenus ostendisti. Nunquid iam demum aliud remedium habes quo me adiuues? Putabat porro Confessarius Regem de corporis sui salute agere, & pro ea remedium petere.* Cui Rex; *non de corpore sanando, sed de anima nunc agitur.* At Confessarius; *quantum in me fuit, feci; de cætero, Dei misericordiæ fidendum est. Hac occasione P. Florentia grauiter ac prolixe de Dei misericordia disseruit, ac Regi in memoriam reuocauit, quanta pro Religionis bono publico hactenus præstitisset.* Sed ad

hæc

hæc Rex; *quam fœlix essem si* XXIII. *annis, quibus regnaui, in Eremo vixissem?* Respondit P. Florentia. *Potest Maiestas vestra, vel iam, si velit, Deo rem æque gratam præstare, si nimirum prompta voluntate, ad pedes Christi, regnum, salutem vitam omnem deponat, vt ipse de hıs suam voluntatem faciat. Ita* inquit Rex, *facio, & osculatus pedes crucifixi: ad hos, inquit, pedes omnia, quæ dedit mihi Deus, siue Principatum siue vitam, depono. Hinc denuo* ad P. Florentiam conuersus; *compenset tibi Deus eam quam modo mihi præstitisti, consolationem, curabis porro, populo, pro concione, vt ex me significes; Fateri me in hac mea suprema hora: Omnia huius mundi vana esse, & regnum, quod in vita suaue est, amarum admodum in morte esse. Illatæ sunt post ea* sanctorum reliquiæ & imagines, *ad quarum præsentiam, tota illa diffidentiæ nebula discussa est, & læto animo extremum Spiritum Rex edidit. Filios, quos ad se vocauerat, pie exhortatus est, inter cætera autem Principem admonuit: aduerte te quoque moriturum, & ita viue, ne te regnasse pæniteat,*

Suprema Regis adhortatio & dispositio.

Anno 1621. *sicut reuera me in hac hora pænitet: Esto* pater pauperum, *& boni communis*, zelator gloriæ *Dei: illam solam* puta tibi *iniuriam illatam, quæ Deo illata fuerit. Dedit deinde illi chartam obseratam, hæc executioni manda, dicens; Dedit ipsi præterea* imaginem crucifixi; *hanc, inquiens, dedit Carolus proauus tuus Patri meo, atque is tuo, qui ipse eandem tibi testamento lego, hanc tanquam Princeps Catholicus venerare, & memento te moriturum esse.*

Circa testamentum Regis, notandum est, nil nisi pium reliquisse. Commendauit etiam Filio monasteria, *à matre sua piæ memoriæ fundata puta monasterium monialium Madriti, & Collegium Societatis Salmanticæ.* Mandauit præterea, *ne cum magno apparatu & pompa sepeliretur. Nam cum tantus, inquit, sim peccator, me sepultura indignum iudico. Voluit etiam, pro sua modestia & verecundia, ne mortui corpus balsamo condiretur, ac denuo & serio mandauit, vt nouus Rex mandaret executioni quæ obserata charta continebantur. Itaque Rex nouus Ducem de Ossuna in vincula coniici iussit,*

sit. Seuere etiam proceditur, in negotio Calderonis, præcepit fisco addici 70. millia Coronatorum annui census ex facultatibus Ducis Lermæi, aliaque id genus plura, quæ nota sunt, aut indies magis innotescunt. Voluit etiam vt P. Florentia esset Confessarius Caroli & Ferdinandi filiorum suorum. Quod vero ad ædificationem magnopere facit, Rex nouus, cum extra vrbem luctus causa, sine comitatu Rheda ad monasteriũ quoddam veheretur, intellexissetq́ sanctissimum Sacramẽtum per plateam ad infirmum deferri, continuo è Rheda desiluit, ipsumq́ ad infirmi domum, honoris causa, est prosecutus atq́ in tẽplum vsq́ reduxit, inde Rhedam conscendens ait, Bono omine Imperium nouum inchoamus, quandoquidem noster egressus tanti Regis ac Domini occursu honoratus est. Anno 1621.

PRINCEPS CHRISTIANVS Anhaltinus intercedit apud Cæsaream Majest. pro captiuo suo filio.

QVemadmodum in illa percelebri & gloriosa victoria Pragensi quam Impera-

Anno 1621. tor ac Rex Bohemiæ, Hungariæ, &c. Ferdinandus II. debellatis ac profligatis sacræ ipsius Maiestatis rebellibus, eorundemq; complicibus atque confœderatis obtinuit, inter multos alios, Principis quoque Anhaltini Filius à Cæsareanis captus fuerit, quia notum est ac peruulgatum, pluribus commemorare omitto: Illud operæ pretium fuerit, scriptum annotare ac proponere, quo, per modum supplicantis, liberationem captiui Principis iunioris, Pater tam inopinato & calamitoso belli euentu & filij casu prostratus, atque intimo, vt quiuis æstimauerit, mœrore animi perculsus, apud Cæsaream Maiestatem sollicitauit. Quod quidem secundo Iulij, anni 1621. ad Cæsarem datum & exaratum fuit in hæc verba.

Gratia, quam V. Cæsarea Maiestas, aliis statibus, qui transacto nuper bello Bohemico, eidem rebellarunt, prælaudabiliter & gloriose exhibuit, incitamento mihi est, in his, quæ me comprehenderunt angustiis, ad eiusdem V. Maiest. pietatem & mansuetudinem similiter confugiendi cum bona spe ostij, non minus mihi quam aliis ad introitum gratiæ

patentis

patentis. Quæ spes me consolatur, ex illa prærogatiua mea præ aliis, quod ego præteriti infortunii dux & auctor non sim, sed pede valde tardo, quemadmodum dicturus sum, accesserim, & quidem vestræ Cæsareæ Maiestati, nō absolute, qualiter maiore forsā parte alij, sed vti Princeps Imperij, mediate subditus, nec, vt illi, pro tēpore illo, speciali iure obligatus. Possū ex fundamēto veritatis hoc scribere quod me, in hoc Bohemicum negotium, non intromiserim vllo priuato aut insito malo erga V. Cæs. Maiest. affectu, quam semper vti meum supremum magistratum ab Omnipotente Deo mihi præpositum respectaui. Verum propensio ad rem euangelicam, cuius periculum status Bohemiæ tam grauiter exaggerarunt ac deplorarunt; tum vero & fidelitas, qua Electori Palatino hisce annis obstrictus fui, in illud me quasi præcipitauerunt. In quo tamen animus ac intentio mihi nunquam fuit, V. Cæs. Maiest. data opera offendendi, sed omne consilium eo dirigendi, vt ne prouinciæ illæ, ex desperatione in alienas, & pleni periculi manus deuenirent, ac quomodo tandem aliquando tanta inquie- Anno 1621.

Anno 1621.

inquietudo per tolerabilem transactionẽ sedari, componiq́ posset. In quem finem quæcunq; videbantur idonea, diligẽter & ad memoriã reuocaui, & ad consultandum proposui. At vbi omnis intẽtæ pacificationis accisa spes fuit, nihil minus facere potui, quã quod Generalem facere deceret & oporteret, pro virili etiam offensiones & vastationes quæ vitari potuerunt, cauendo. & quando ad extrema ventum erat, malui pro mea parte, quantum quidem fieri poterat, vti inhibitione atque ad exoptatæ pacis, pro publico & V. Cæs. Maiestatis bono, recuperationem collineare, quam in extremis perseuerare. Postea quam etiam reipsa comperi, Deum omnipotentem non tantum contulisse V. Cæs. Maiestati victoriam, sed etiam nobis reliquis, in hoc rerum decursu, satis notificasse quod non velit semper gladio defendere religionem, ac simul multorum corda manifestare ac in propatulo collocare, idcirco ad opportunum tempus, prouinciæ mihi impositæ renunciaui, & Regem nouiter electum, Electorem Palatinum, ad accommodationem, pro viribus meis disponere curaui, nulla habita ratio

ne medio-

ne mediorum, quæ ad contra obnitendum, Anno 1621.
haud exigua præsto fuerunt. Nec vero idcirco mihi persuaserim, quod à zelo Christianæ reformatæ religionis, & erga Electorem Palatinum, affectione, passus me sim in aliquantulum transportari. Prouerbio dicitur, debere adhuc nasci eum, qui in vita sua, nullam forte fatuitatem committit. Solus Deus absque defectu, id nobis hominibus denegatum est. Cum igitur hoc euenerit mihi, quod omnibus hominibus commune est, erit V. Cæs. Maiestas gratiosissime in hoc, vt defectum hunc pallio suæ mansuetudinis operiat, prout eandem hisce suppliciter imploro, orans, mihi, quod præteriit & commissum fuit, ex innata Cæsarea clementia & lenitate condonari, ignosci ac remitti, meq; vna cũ meis, in gratiam & protectionem suam clementissimam recipi, filiumq; meum captiuum relaxari: ac nos pariter subditosque nostros in suis dignitatibus, libertatibus, iuribus clementissime conseruari. Hoc, vti in Imperio & extra, ad ineffabilem laudem & gloriam V. Cæsareæ Maiestatis redundabit, ita me ad immortalem gratitudinem atq; obedientissimam

Anno 1621. *ſimam debitam, ac fidelem ſeruitutem ar-ctiſſime obligabit.*

V. Cæſareæ Maieſtatis
ſubiectiſſimus ac
obſequentiſſimus

Chriſtianus Princeps
Anhaltinus.

In ſupe-

In ſuperiori ſemeſtrali continuatione Hiſtorica de magna à Polonorum Rege contra Turcorum Imperatorem ſuſcepta expeditione bellica dictum eſt. Nunc totius rei, toto Septembri, vtrimque geſtæ ſeriem ordine, filoque Hiſtorico recenſebimus.

Anno 1621. Expeditionis Polono-Turcica cōtinuatio.

Primo huius menſis die Turci caſtra ſua dimidio dumtaxat milliari à Polonorum caſtris metati ſunt, eoque ipſo die in modo dictos Polonos impetum fecerunt. Poloni igitur, ſibi ſuiſque inuigilantes, hæreditario chriſtiani nominis hoſti adeo fortiter ſeſe oppoſuerunt, vt tum plus, quam 800. Turci ceciderint, exceptis iis qui partim haſtis, partim tormētorum diſploſionibus, partim vero vario mortis genere tum temporis infelicem ſuum ſpiritū exhalare neceſſum habuerunt. A parte chriſtianorum in eo conflictu deſiderati ſunt leuis armaturæ equitum tribunus, ſub Domini Generalis Imperio Zanzinka dictus, & aliis ſub ſignis penes duos equitum cataphractorum miniſtros, vltra 30. chriſtiani, captiuis tamen ex iiſdem heu exceptis.

Poſtridie pari modo Turci ſeſe cōſpiciundos præbuerunt, prælium cum Polonis redintegrarunt, tribuſque diſtinctis in locis eorundem caſtra hoſtiliter inuaſerunt. Polonis autem caſtris ſuis ſeſe continentibus, Turci, ex chriſtianorū caſtris crebris tormentorum

Anno 1621.

displosionibus vehementer impetiti, ante Solis occasum exinde sese alio conferre coacti sunt. Illo ipso die iunior Poloniæ Princeps, traiecto amne, in Polonorum castra venit, postero die vero tormenta, aliæque munitiones bellicæ, postquam fluuius exoneratione siue excursione sua pontem (qui tamen illico à Polonis refectus est) auulsisset, in castra deducta sunt.

Turci à Cosaggis cæsi.

Post triduum, exorto sole, Turcorum Imperator, qui præsens tragœdiæ istius spectator fuit in Cosaggorum castra impetum fieri iussit. Verum Cosaggis ex propugnaculis suis sese fortiter & mascule defendentibus, Turci iterum magna clade adfecti sunt. Quapropter Imperator Turcicus, isto in loco, vbi Polonorum Generalis hospitium sibi sumpserat, per Ianitsaros suos nouam impressionem fecit. Cum autem & illic sibi res minus prospere succederent, re infecta illinc digressus Cosaggos equitatu suo Turcico circundare iussit, qui, excursione facta, Turcos quosdam in fugam coniecerunt, quosdam trucidarunt, &, recuperatis aliquot tormentis, opima præda onusti eandem istam sub vesperam hilares in castra reuersi sunt.

Magna in castris Turcorum annona caritas, & Ali

Quarto eiusdem mensis die vtrimque ab armis cessatum, & Turci castris suis aliquantulum retrogressi sunt. Postquam autem captiui & transfugæ Turci fassi essent, Turcorum

rum Imperatorem nouam aduersus Polonorum castra impressionem moliri, eapropter christiani Dei Ter Optumi Maxumi nomine serio diligenterque inuocato, bona sub præparatione hostium aduentũ præstolati sunt. Circa Meridiem vero turbida pluuialique tempestate illico suborta, Turci quidem, modo dicta de causa, nihil contra christianos attentarunt. Postridie autem quidam ex Cosaggis, circa Brunskium fluuium habitantibus, qui sub graui Turcorum iugo grauem seruitutem multos per annos sustinuerat, in Polonorum castris inter alia edixit, Turcorum Imperatorem omnibus suis viribus Polonorũ castra oppugnare decreuisse, quem in finem etiam paucos dumtaxat Turcos ad suorum castrorũ custodiam penes sese retinuisse. Idem & porro fassus in Turcorum castris, ob magnam annonæ caritatem, 4. panis libras duobus grossis, & semi modium auenæ vel hordei, Camnensis mensuræ, 7. florenis vendi. Similiter & Germanus quidam, qui antehac, vna cum Capitaneo Koreckio, à Turcis captus fuerat, nunc vero ab iisdem ad Polonos transfugerat, edixit, quod superioribus diebus Ali Bassa, præcipuus quidam belli Dux Turcicus ictu tormenti per frontem traiectus & necatus fuerit, quodque nupero tempore, Cosaggis Turcorum castra oppugnan-

Anno 1621.

Bassæ mors.

Anno 1621. pugnantibus & diripientibus, tanta inter Turcos trepidatio exorta fuerit, vt etiam Turci confestim in fugam sese coniicere voluerint, à quo proposito etiam tum temporis reuocari minime potuissent, nisi ipsorum Imperator militibus magnam pecuniæ summam, ad Cosaggorum castra iteratis vicibus oppugnanda, promisisset.

Castellanus Polotzkius in conflictu à Turcis necatus.

Paulo post (6. & 7. huius mensis diebus) Turci, denuo cum Polonis fortunam suam experiri conati, eosdem in nondum absolutis propugnaculis suis aggressi sunt. Regius autem prægustator, qui eo ipso in loco tum temporis cum equitum suorum vexillo excubias agebat, hostes fortiter excipiens eosdem, ope & auxilio Domini Castellani Polotzkij, & Domini Audominæ, Sandomiriēsis Capitanei, iterum retrofugere coegit, & vsque ad syluam, non procul à Turcorum castris, insecutus est. Turci ad Polonicorum propugnaculorum oppugnationem destinati vero omneis, ex Polonis non magis, quam 12. cataphracti equites aliique ministri occubuerunt. Pari modo & dictus ille Dominus Castellanus Polotzkius prostridie ex acceptis eo tempore vulneribus decessit, vitamq; cum morte commutauit. Interea vero Turci Cosaggorum castta denuo, à meridie ad vesperam vsq; oppugnare minime destiterunt, vbi tamen iterum præcipuorū Bassarum

Anno 1621.

rum vnus, penes permultos alios Turcos, à conflictu deſideratus, & noctu à Turcis multis accenſis facibus inter reliquorū mortuorum cadauera hinc inde quæſitus eſt.

Poſtero die Coſaggus quidam, antehac Turcorū longo tempore captiuus, noctu ad Polonos transfugiens, inter alia faſſus eſt Turcos omnia ſua impedimenta & ſarcinas Camelis, equis & curribus impoſuiſſe, & vnice ad fugam intentos eſſe. Verum Turci eodem iſto die, præter omnem chriſtianorū ſpem & expectationē, tribus excurſionibus Coſaggorū caſtra oppugnarunt; in quo conflictu ſane, Turcis hinc inde à chriſtianis maſcule repulſis, Germanorum, ſub Thierhouiorum & Lermutiorum Culmenſiſque Palatini imperio militantium, virtus & fortitudo egregiā laudem eſt promerita. Eodem ipſo die Sadaichaius Coſaggorum præcipuū quendam Capitaneū, Bardawkam dictum, à quo anno præcedenti per miras artes atque technas ab iſta prærogatiua remotus fuerat, quod ſerius, quam decebat, in caſtris aduentaſſet, & hinc inde direptionibus operā dediſſet, accuſauit: quapropter à Senatu bellico ad mortem condemnatus, & ſecuri percuſſus eſt. Similiter & circa idem ferme tempus quidam armiger in Polonorum caſtra, ad quæ transfugerat, omni aſſeueratione teſtatus eſt, quod, durante iſta expeditione Tur-

Bardavvkam, præcipuus Coſaggorum Capitaneus ſecuri percuſſus.

Anno 1621. ne Turcica, Turcorum Imperator vltra 12. militum millia amiſiſſet, qui partim omnino mactati, partim vulnerati, potiores vero ad bella vel omnino inhabiles redditi fuerint, aut fuga ſibi proſpexerint.

Kakacus Baſſa Budẽſis, & Baſſa Nabanus in conflictu deſiderati.

Poſt multas, 9. 10. 11. 12. 13. &c. huius menſis diebus, Polonorum cum Turcis habitas velitationes, Turci & Tartari, 15. eiuſdem menſis die, Coſaggorum caſtra tribus in locis magno impetu oppugnarunt, cuius ſane oppugnationis ipſe Turcorum Imperator è monte quodam iterum ſpectator fuit, nauci æſtumans vtrum ſui vel chriſtiani vincerent, adeo vt tum temporis proprias ſuas militareis copias, pecudum inſtar, ad mactationem ſiue lanienam quaſi adduci iuſſerit. Iſta autem Turco-Tartarorũ oppugnatio à Meridie ad Solis Occaſum vſque durauit, vbi tamẽ Deus TerOptumus Maxumus, ex infinita ſua bonitate & miſericordia, omnem hoſtis hæreditarij potentiam tum temporis clementiſſime iterum à capitibus chriſtianorum auertit, eundemque ſumma ſua, Polonorum vero minima iactura, damno, atque detrimento, rubori dedit, qui & hoc ipſo tempore re infecta recedere coactus eſt. Idem quoque Deus omnipotens Polonis, eorundemque auxiliatoribus, illo tempore adeo heroicum animum clementiſſime indidit, vt non dumtaxat

Anno 1621.

taxat per portas, valla, atque propugnacula ad hostem sese contulerint, verum etiam cum eodem manus conseruerint. In conflictu isto, penes alios gregarios milites aliosque Officiales, quorum cadauera cateruatim hinc inde dispersa sub dio iacuerunt, Kakacus Bassa Budensis, Turcorum Imperatori gratus acceptusque minister, qui paulo ante in castra venerat, vna cum Bassa Nahano, cecidit, vitamque cum morte commutauit. Hac accepta clade Turci ab vlterioribus oppugnationibus cessarunt: quidam tamen ex iis, Cosaggos iterata vice hostiliter inuadentes, diuina adsistente gratia, quæ in omnibus velitationibus præsentibusque periculis christianis semper præsto fuit, iterum fortiter excepti atque repulsi sunt.

Cirkas Bassa trucidatur, & Cosaggi opima præda potiuntur.

Decimo septimo huius mensis die Dominus Polonorum Generalis, vna cum Consiliariis bellicis, aliisq; Officialibus, quemadmodũ etiam cum Sadaichnio Cosaggorum Imperatore, eorundemq; belli Ducibus cõsultauit, quid nunc imposterum quoq; vel faciendum vel intermittendum foret: quo facto vnanimi omnium consensu tum temporis decretum, vt citius mori vel extrema quæque pati, quam recedere velint interea aliquot Cosaggi, in Turcorum castra irruptionem faciuntes, multa Turcica tentoria

Anno 1621.

deiecerunt ac ſimul non contemnendum ſane Turcorum numerum (abſque tamen ſclopetorum diſploſionibus ne forſitan tumultus exoriretur) cum haſtis & gladiis trucidarunt: quo facto illæſi ad ſuos iterum reuerſi ſunt. Illud autem ea nocte in ponte à Turcis nuperrimo tempore extructo, factũ eſt: vbi ſimiliter Coſaggi iſti Cirkam Baſſam, cui pons iſte cuſtodiendus commiſſus erat, vna cum multis ſuorum militum mactarunt, 9. ex iiſdem cœperunt, atque adeo tum temporis opima præda (præſertim vero pretioſis pellibus & veſtibus, quas procul omni dubio Turci à Tartaris, qui paulo ante Ruſſiam diripuerant, emerant) potiti ſunt.

Polonici Cõmiſſarii à Turcis magnifice excipiuntur.

Poſt varias diuerſimodaſque Polonorum, eorumdemque auxiliatorum cum Turcis (qui commemorato modo, per diuinam gratiam & adſiſtẽtiam, ſemper ferme à chriſtianis fortiter maſculeque repulſi atque debellati ſunt) habitas velitationes, 26. eiuſdem menſis die Baptiſta, qui paulo ante à Vaiuoda Valachiæ litteras adtulerat, ablegatus eſt, qui ſecurum pro Polonorum Commiſſariis, ad pacis tractationem conſtituendis, ad Turcorum Imperatorem aditum impetraret. Cum vero idem Baptiſta illud facillime apud Turcorum Imperatorem obtinuiſſet, facile exinde colligere fuit, quantopere Turci ad pacem tum temporis inclina-

clinarint. Circa finem & quidem die 30. huius mensis Septembris, postquam biduo ante idem ille Turcorum Imperator cum vniuerso suo exercitu Polonos vna vice simul omnes deuorare, & eorundem castra pro virili occupare (ast frustra tamē) decreuisset, Dominus Castellanus Belcensis, & Palatinus Lublinensis, tamquam ad pacis tractationem ablegati Commissarij, insigni quodam comitatu ex Polonorum castris profecti, à cc. delectis cataphractis equitibus vsq; ad Turcorum castra deducti, inibique à Turcis, pacis istam tractationem prima vice expetentibus, splendide magnificeque excepti sunt. Quibus autem conditionibus pax vtrimque tamdem conclusa fuerit, id suo tempore locoque beniuolum lectorem minime celabimus. Nunc videbimus, quid eodem hocce mense, aliis quoque in locis acciderit. Anno 1621.

Quamuis omnibus & singulis cognitum manifestumque fiet, quatenus nimirum Serenissimus Inlustrissimusque Princeps ac Dominus, Dominus Maximilianus, vtriusque Bauariæ Dux, &c. quemadmodum & Inlustris Comes Mansfeldius cum ambobus suis exercitibus M. Augusto inter se inuicem aliquoties dimicauerint: nihilominus tamen quum Serenissima ipsius Celsitudo, grauissimis de caussis, in Palatinatum

Serenissimi Ducis Bauariæ ad omnes inquilinos superioris Palatinatus fidelissima admonitionis compendium.

Anno 1621. superiorem sese cum exercitu suo conferre, inibique aliquot ciuitates, pagos, &c. occupare necessum habuerit, eapropter eadem sua Cel. sequentem fidelissimam admonitionem, ad cuiusuis meliorem informationem siue instructionem, ad 8. diem Septembr. typis publicari curauit.

Nos Maximilianus Dei gratia, Comes Palatinus Rheni, supe: inferiorisq; Bauariæ Dux, &c. N. & N. superioris Palatinatus Ordinibus, Officialibus, Delectibus, omnibus Prouincialibus; quemadmodum & omnib. singulisque dicti Palatinatus subditis, inquilinis, aliisque eidem Palatinatui addictis, &c. Clementiam & salutem nostram impertimus.

Fideles, Dilecti, &c. Minime vos latere arbitramur, quo pacto videlicet Romano-Cæsarea Maiestas certam quandam commissionem clementissime commiserit, vt tumultuosum suæ Maiestatis Regnum Bohemiæ, eidemq; incorporatas prouincias, vel in ipsa bonitate, aut, nisi illud prȩter spem & expectationem fieri posset, aliquanto seuerioribus mediis ad debitum obsequium reduceremus, atque eo ipso totalem metuendam ruinam, vlteriores motus, quemadmodum & Turcorum Imperatoris, tamquam Capitalis hæreditariiq; Christiani nominis hostis emolumentũ, aliaq; subsequentia mala præ-

la præcaueremus. Quamuis autem ex omnibus circumſtantiis, reiq; grauitate ipſa, &c. ſufficientem anſam occaſionemq; nacti fuerimus, vt videlicet tam arduam grauiſſimãque in humeros noſtros deriuatam, tam noſtram propriam, quam aliorum ſalutem extremè periclitantem Commiſſionem excuſaſſemus, vel ad minimum tamen, in iſtiuſmodi extremis, ex naturali adfectione, noſtræ ipſius noſtrorumq; conſeruationis rationem curamq; habuiſſemus: nihilominus Cæſarea S.M. nobis tandem clementiſſime perſuauit, quod grauiſſimum illud onus in nos ſuſceperimus, & magis ad publicã, cum amicis aliquot preſſæ Cæſ. Maieſt. Electoribus, Principibus aliiſq; S.R. Imperii fideliſſimis Ordinibus, quã priuatam noſtrã noſtrorumq; ſalutem ſpectauerimus. Ad quod etiam nos tam iuſtiſſima cauſſa eo magis commouit quum adhuc nullus Rex, Elector, Princeps, vel Ordo, immo Britannicarum Inſularum Regia Maieſtas ipſa, periculoſiſſimam iſtam ſeditionem Bohemicam, abiurationem, & ſub ea deductum proceſſum adprobaſſet, nec pro legitimo adprobare potuiſſet, exceptis paucis aliquot, qui, proprij priuati ſui reſpectus cauſſa, ex minime conceſſo zelo, ſeſe iſti negotio immiſcuerunt: vel iis, qui, contra legitimam ordinariamque vocationem, ſucceſſio-

Anno 1621.

Anno 1621. cessionem, & coronationem in Regnis, Electoratibus, Principatibus, & Prouinciis, nouam reuolutionem bene constituti ordinarij Magistratus quærere satagunt. Eapropter etiam, per manifestam præsentemque Dei Ter Optumi Maxumi benedictionem, gratiam, atque adsistentiam, dicta ista nostra suscepta Commissio, mox ab initio, contra multorum vota, spem, & expectationem, bene feliciterque cessit, vt etiam ad fidelem præmissam ad: & exhortationem, superiorem Austriam in bonitate ad Cæsareæ Maiestatis debitum obsequium reduxerimus.

Etiamsi vero, tenore clementissime nobis iniunctæ Cæsareæ Commissionis, pari fideli admonitione præmissa, Regni Bohemiæ Ordinibus viam gratiæ atq; clementiæ impertiuerimus, firma spe freti, naturalem rationem, debitum iuramentum & obligationem, per modo dictam paternam nostram adhortationem, magis, quam aliquot aduersariorum irrequietos animos, malasque impressiones, præualituram: nihilominus tamen continuata repugnantia primas obtinuit, adeo vt ad exequutionem clementissime nobis iniunctæ Commissionis progredi necessum habuerimus. In quo sane nostræ vocationis munere exequendo manus Dei nobis iterum præsto fuit, dum Cæsareæ suæ Maiestatis contrarius exercitus omnibus in

bus in locis difturbatus, atque, per prælium ante Pragam commiſſum, tamdem omnino fuſus fugatuſque eſt, adeo vt per eamdem iſtam diuinitus datam victoriam magna ſane iſtius Regni pars ad debitum Cæſareæ ſuæ Maieſtatis obſequium reducta fuerit: vbi etiam cætera omnia, abſque vlla armorum violentia, ad conſtantem, pacificamque quietem reduci potuiſſent, niſi fuga turpiter hinc inde dilapſi omnibus in locis rebellionem iſtam in Regno continuare ſtatuiſſent, ſuorumque ſimilium opem, auxilium imploraſſent & impetraſſent: dum ex vna parte Comes Mansfeldius, ex altera Ian-Georgius Marchio Iagerndorffius, diſtinctos aliquot exercitus collegerunt, eoſdem auctiores reddiderunt, Ducatum Sileſiæ, Morauiæ, ſupe:inferioriſque Luſatiæ à debito Cæſareæ Maieſtati obſequio detinuerunt, & ad motum Hungaricum anſam occaſionemque præbuerunt, eundemque pro virili promouerunt. Ex quo deinceps ſequutum, vt Cæſareanus & noſter exercitus illis in locis non deduci, ſed, ad nouam tumultuoſam defectionem præcauendam, in: & extra Pragam diſtributus, contra Morauiam deductus, Sereniſſimus Elector Saxoniæ vero, ex vi Sereniſſimæ ipſius Celſitudini pari modo clementiſſime impoſitæ Cæſareæ Commiſſionis, cum militaribus ſuis Anno 1621.

Anno 1621. ſuis copiis contra ſupe: inferioremque Luſatiam, Cæſari itidem tum temporis parere nolentem, mouere violenterq; contra eamdem procedere neceſſum habuerit.

Quamuis etiam non pauci ſibi perſuaſiſſent Mansfeldium cum ingenti iſta ſua præparatione bellica, vti quidem ipſe aliquoties prætenderat, limites ſuperioris Palatinatus eo vſque cuſtoditurum defenſurumque eſſe, donec interea periculoſiſſimi iſti Bohemici motus iterum compoſiti, atque, per inſtantem Electorum Principumque conuentum, ſublati fuiſſent. Verum idem ille Mansfeldius non dumtaxat in Bohemico territorio omnem violentiam exercuit, ſed etiam noſtra caſtra hoſtiliter inuaſit, eiuſdemque equites paullo poſt in noſtro territorio Bauarico Lemonium, qui tamen tum temporis non amplius noſter, ſed Galliarum Regis conſtitutus Capitaneus fuit, in via publica violenter infeſtarunt, ſpoliarunt, eumdemque captiuum in Mansfeldiana caſtra ſecum abduxerunt.

Cum igitur ipſa Meridiana luce clarius adpareat, ipſumque factum per ſe teſtetur, quod quamdiu Mansfeldius, tamquam publicus Cæſareæ Maieſtatis hoſtis, hiſce in locis pro ſuo lubitu commoretur, tamdiu Cæſarea ſua Maieſtas vel eiuſdem fideles Ordines atque ſubditi in Regno Bohemiæ o-

miæ omnino nullam conſtantem pacem ha- Anno
bituri ſient: eapropter Cæſarea Sacr. Maie. 1621.
operæ pretium, immo ſummopere neceſ-
ſarium eſſe autumauit, eiuſq; etiam rei cauſ-
ſa inſtanter ſolliciteque nos admonuit, vt
Mansfeldium ab iſtiuſmodi hoſtilibus at-
tentatis, graſſationibus, direptionibus, ad
nouam periculoſiorem ſeditionem ſpe-
ctantibus, omnibus noſtris viribus arcere-
mus. Poſtquam autem tam inſtantibus
Cæſareanis ad: & exhortationibus, manda-
tiſque, debiti noſtri obſequij & ſuſceptæ
Cæſareæ Commiſſionis ergo, iterum cum
ſumma noſtra noſtrorumque confœdera-
torum incommoditate parere neceſſum ha-
beamus: eapropter, in nomine SS. Trinita-
tis, in grauiſſima iſta noſtra Commiſſione ita
progredi decreuimus, vt quéadmodum di-
uina ſua Omnipotentia adeo iuſtam cauſſam
hactenus ipſa defenderit, ita eamdem, vti
ſane minime dubitamus, & porro quoque
diuinam ſuam gratiam clementiſſime lar-
gituram eſſe, vt tamdem Cæſarea ſua Maie-
ſtas in ſuo tam male ſeducto regno ab hi-
ſce aliiſque contrariis hoſtilitatibus tuta
præſtari, illudque denique priſtino ſuo nito-
ri atque vigori queat reſtitui. Quumque et-
iam toties nunc commemoratus Mansfeldi-
us, ad ſuum emolumentum, in limitibus Bo-
hemiæ tanta quidem propugnacula ex-
citet,

Anno 1621. citet, vt, absque manifestissimo damno atque periculo, iis ex locis minime repelli possit: iccirco summopere necessarium est, vt per alia loca, cumprimis autem Palatinatum superiorem, impetatur. Nunc autem quiuis sanæ mentis facillime colligere poterit, illud absq; damno fieri non posse, quodque innocentes interim pati necessum habeant: eapropter, ad bonam nostram adfectionem & intentionem testandam, intermittere nec possumus, nec volumus, quin vobis omnibus & singulis hanc Cæsaream commissionem supra Regnum Bohemiæ, ab ista MansfeldI violentia liberandum, insinuaremus, ac simul vos omneis fideliter moneremus, ne videlicet vllo modo, publice, vel clanculum, Cæsareæ isti commissioni resistatis, eandemque forsitan impediatis, multo minus Cæsareæ suæ Maiestatis aduersariis, Mansfeldio, eiusdemque complicibus vllum subsidium, opem, adsistentiam, vel obsequium præstetis, ipsorum hostilitatibus vosmet minime implicetis, nec eorundem contrariis consiliis, impressionibus, falsis desperatisque imaginationibus & illegitimis persequutionibus locum rellinquatis, sed multo potius illum ipsum Mansfeldium cum suo exercitu, in vestrum emolumentum, à finibus vestris repellatis, Cæsareæ Maiestatis clementissimo mandato (cuius sub-

ius subiectissimi, attamen mediati, subditi Anno
vos estis, & principatus superioris Palatina- 1621.
tus alias S.R. Imperij feudum est) in debito obsequio vosmet submittatis, mandatum istud promoueatis, atque eo ipso proprium vestrum periculum præcaueatis.

Quemadmodum enim Cæsarea Commissio ad nullius hominis, ita & in specie vestri vestrorumque, præiudicium damnumque vergit, atque, si tamen rite parueritis, in nomine Cæsareæ Maiestatis, omneis eos modò iam commemorato modo, in nostra ista commissione sese morigeros exhibentes, contra Mansfeldium eiusdemue complices pro virili defendere, tueri, ipsisque in continenti sufficienti auxilio adsistere, in plena præparatione, semper, quantum modo fieri potest, auxiliari velimus: ita ipsi facillime colligere potestis, nisi Mansfeldius occupata loca, tam apud vos, quam in Regno Bohemiæ etiam in continenti restituerit, exercitum suũ dissoluerit, & vos ab eo ad Cæs. Maj. deuotionẽ conuerteritis, sed, vice versa, mandata Cæsarea impediueritis, & Mansfeldi complicumq; suorum hostilibus grassationibus vnico dumtaxat modo participaueritis: quod tum nihilominus, ex præscripto Cæsareæ commissionis, cõtra Mansfeldium eiusdemq; adhærentes, procedere velimus. Sin igitur vni, vel alteri, ex eo aduersi quid-

Anno 1621. dam acciderit, id modo sibi ipsi, suæ inobedientiæ, quodq; bono fideliq ue consilio ad suam adsecurationem minime obtemperauerit, imputandum sciat: qua in re etiam nos, ad omnem intemperiem auertendam, nostro officio minime defuisse, excusatos esse volumus.

Confidimus itaq; vos omneis & singulos quascunque istas circumstantias probe perpensuros, vosmetipsos non in periculũ præcipitaturos, & (quum in genere, forsitan ob Mansfeldianum vel aliũ respectum, ista nostra intimatio, adhortatio, & annũciatio non omnibus & singulis insinuari possit) quemlibet, quamprimum etiam huius intimationis, vel expeditionis nostræ certior factus fuerit, obsequiũ nobis significaturum, vlteriorem adsecurationem, consilium, opem, & adsistentiam in necessitatis euentũ percepturũ, nec necessaria, ineuitabilia, Cæsaream Commissionem concernentia media expectaturum esse. Id, magna cum vestra laude, vergit ad debitam diuinæ voluntatis obseruantiam, ad Cæsareæ suæ Maiest. eiusdemq; perturbatorum subditorum & prouinciarum, tum etiam ipsius S. Rom. Imperij prosperum statum, incrementum, stabiliendam iam diu exoptatam pacem, maioris intẽperiei auersionem, & deniq; ad vestram vestrorumq; & superioris Palatinatus propriam salutem atq; prospe-

prosperitatem. Illudipsum quoque Cæsarea sua Maiestas vobis clementissime retribuet. Cumq; insuper etiam in expeditionis nostræ procinctu stemus, atq; omneis & singuli volmet Cæsareæ suæ Maiestati, nobisq; eiusdem Cõmissario, accommodare possitis: idcirco vestram vestrorumq; promptam responsionem expectamus, vobis vestrisq; pariter clementiam nostram pollicentes. Anno 1621.

Sub eiusdem mensis initium Philibertus Dux Sabaudiæ Neapolim ingressus, inibique magnifice exceptus est: Cumprimis vero, pro ipsius felici aduentu, in 12. triremibus magna tormenta aliquoties displosa fuerunt, quo facto magna reuerentia & magnificentia in Regium Palatium comitatus est. Cum vero sub solemni isto ingressu Signor Manco Certunicane, Nobilis Genuensis, ad præstandum Duci officium, vna cum aliis præcipuis Officialibus, duabus triremibus in loco dicto appulisset, & vni ex Hispanicis militib. cum quibus rixatus fuerat, duos colaphos impegisset, care admodum sane illud luere necessum habuit: ipso momento siquidem à Philiberto in vincula coniectus & ad mortem condemnatus fuit, quem tamen Regius Neapolitanus Vicarius, & Marchio di Sancto Croce, intercessionibus suis vita saluum atque incolumem conseruarunt. Qua magna intercessione Philibertus commo-

Tumultus in Castello Neapolitano.

Anno 1621. tus, nobilem istum ad octennium in Neapolitanum castellum condemnauit, in quo, vna cum suis Valonibus, per biennium Hispanicæ triremi suis sumptibus inseruire, & adhuc x florenorum M mulctæ loco persoluere coactus est.

Magna Adiæ fluuii inundatio. In Italia hocce eodem mense Adiæ fluuius adeo inundauit vt non duntaxat excursione sua vicinis inquilinis magna irrecuperabiliaq; damna intulerit, verum etiam Veronensibus vltra 18. pagos submerserit atque ita tam homines quam pecora secum miserum in modum deduxerit. Quocirca Cardinalis Serra, hodierno tempore Ferrariæ residens, ex Christiana commiseratione atque condolentia supra tam tristem casum, miserorumque hominum perniciem, omnem necessariam prouisionem & idonea media procurauit, cumprimis autem multo frumento onustam nauem in Portu di Gorco sequestrare, atque hoc modo isti loco de victu prospici curauit.

Contentio militum in Italico mari composita. Interea magna inter milites in Toscanis Neapolitanisque triremibus contentio exorta est, adeo vt ambæ rixantes partes controuersiam istam non duntaxat verbis, sed etiam verberibus & armis tollere conati fuerint, atq; quamprimum cruentas manus inter se inuicem conseruerint quo in conflictu vtrimq; multi cæsi atq; trucidati sunt. Quo

maturius

maturius autem Dominus Generalis Pimentellus maiori metuendo malo obuiam procederet, eapropter exacerbatos milites blandis verbis allocutus eſt, & tumultum iſtum hacce ſua blandiloquentia magis, quam verborum aſperitate, iterum ſedauit. Anno 1621.

Durantibus etiamnum inceſſabilibus hincinde motibus bellicis, qui vnice & ſolummodo ex Bohemo-Palatina intemperie exorti, totum terrarum orbem fere concitarunt, atq; adeo, apud miſeram innocentemque plebem, intolerabilis annonæ caritatis ergo, miſerandam lamentationem (Deus retribuat vel potius ignoſcat iſtis auctoribus & ſeditioſis coryphæis) excitarunt, non dumtaxat in vniuerſa Europa, verum etiam Turcia & Aphrica tamta ſane annonæ caritas & contagio (quæ duæ prouinciales pœnæ plerumque coniunguntur, vel alternatim ſubſequuntur) exorta eſt, vt etiam iſtis in locis, præſertim vero Conſtantinopoli, ſingulis diebus aliquoties CC.M. vtriuſque ſexus & ætatis mortui, &, ob ſummã iſtam annonæ caritatem & famis miſeriam multa hominum M. animam exhalare neceſſum habuerint. *Magna Conſtantinopoli annonæ caritas & contagio.*

Hæc dum in Italia, Aphrica aliiſque finitimis in locis fierent, Romano-Cæſarea, Hungariæ itidem Bohemiæque Maieſtas Regia, FERDINANDVS II. Dominus noſter clemen- *Cæſarea Maieſt. ad infantiſſã Bruxellenſ. litteræ.*

Anno 1621. tissimus, ob petitam Frider. Comitis Palatini reconciliationem, sequentes, sub dato Viennæ 11. die Septem. litteras ad Infantissam Bruxellens. ablegari curauit: Sereniss. Principissa, peramica cognata, & Soror. Quatenus nosmet, ad Magni Britannicarum Insularum Regis, Dilect. Vestr. aliorum quoq; Regum, Electorũ & Principum factas intercessiones, reconciliationem à nobis proscripti & bãno Imperiali declarati Frederici, Palat. Com. & Electorem Rheni sese nominantis, concernentes, antehac resoluerimus, illud Vest. Dil. ex subsequutis communicationib. procul omni dubio sibi adhuc probe reuocabit in memoriam.

Cum autem grauissimũ istud negotiũ, perquam necessariis, singularibus, atq; arduis de causis, ex cõsensu & adprobatione Electorũ, Dil. Vestr. aliorumq; aliquot fidelissimorum Principum & Ordinum, quorum aduentum propediẽ præstolamur, hoc tempore differre necessum habeamus: interim vero, ad meliorem præparationẽ, & significationem nobis Sereniss. Britannicarum Insularum Regis interpositionẽ pergratam fuisse, eiusdem Legatum quoq; Ianum Digbiũ Baronem, Regiũ Consiliarium intimum & supremum Cameræ-officij administratorem tutam, atq; in nullius partis præiudiciũ vergentẽ armorum suspensionem petiisse: iccirco operæ pre-

tium

tium necessariumq; esse autumauimus, si per præsentem epistolam Dil. V. in animum reuocaremus, quod videlicet (ob singularem moderationem & zelum erga salutarem Iustitiã dicti Regis Britanniæ, qui generi sui facta hactenus minime adprobauit, tum ẽt ob peculiarẽ amicitiam, inclinationẽ & beniuolentiam, quã non dũtaxat ipsius dilectio, verum ẽt eiusdẽ Antecessores nobis nostræq; domui exhibuerunt) legitimas causas habeamus, vt interpositionem istã magnifaciamus atq; adeo nostram conscientiam, & Cæsareã reputationem S. Rom. Imperio, totiq; nostræ domui, puram, sartam, tectamq; conseruemus: quemadmodum etiam minime ignoramus, quod itidem Dil. Vestr. nihil magis curæ cordiq; siet, quã vt S. Rom. Imperij prosperitas, per acceptam, tutam nulliq; parti iniuriosam pacem promoueatur, vbi similiter V. Dil. illa ipsa media sibi aduersari minime patietur, quib. hodiernus status aliquanto melius explicari, hominumq; animi ad tam apertam, vtilem necessariamque pacem præparari queant. Anno 1621.

Eapropter extra omnem ponimus dubitationis aleam, immo Dilection. Vestræ ipsius Domini mariti, Gentilis & fratris nostri suauissimi, felicissimæ recordationis litteræ, in quibus dicti illius Anglicani Legati Commissionem quam diligen-

Anno 1621. ligentissime nobis recommendauit, nos idem quasi iubent, Dilectionem Vestram non minus, quam eiusdem Dominum maritum, hanc Regis Anglicani intercessionem probe exacteque sibi curæ cordique esse passuram. Exinde igitur Dilectioni Vestræ nostrum consensum & potestatem communicatam volumus quod videlicet, modo, ob hodiernum statum, & rebus ita constitutis, in Palatinatu inferiori nullæ remoræ vel impedimenta inciderent, istam armorum suspensionem ratam habere & concludere stet sententia.

Cum etiam Serenissimus Elector Saxoniæ nobis non ita pridem persuaserit, ne videlicet hancce pacis tractationem nobis ex manibus eripi pateremur, & Bauariæ Ducis Dilectio idem pariter adprobarit, quocirca eo lubentius istam pacis tractationem ad manus sumpturi sumus.

Vbi tamen & porro Dilect. V. latere nolumus, si videlicet in hanc armorum suspensionem consentire velimus, toties nunc dictũ Magni Britãnicarum Insularum Regis legatũ tum nobis promisisse, ꝙ videlicet & Mansfeldianæ induciæ, tam erga nostra Regna & prouincias, quam etiam omneis alios Sacr. Roman. Imperij Electores & Principes, imprimis vero Saxoniæ Septemuirum, non duntaxat quamprimum ratæ esse

debeant,

debeant, verum etiam si Mansfeldius hiſce ſe forſitan minus accommodare, vel contra niti velit, tum & Comitem Palatinum Mansfeldium ipſum pro ſuo hoſte declaraturum, eidemque omnem poteſtatem derogaturum eſſe. Anno 1621.

Similiter quoque ab eodem Regio Anglicano Legato nobis ſpes & promiſſio facta, quamprimū ſcilicet iſtæ induciæ vtrimque ratæ habitæ fuerint, quod tum pari modo omnis commiſſa poteſtas Ian-Georgio proſcripto, Marchionem Brandenburgenſem ſeſe nominanti, & in ſcandaloſis nullius pretij patentibus ſuis litteris de nulla & inani iſta commiſſione thraſonice glorianti, in iiſdemque mera falſa prætendenti, adimi debeat. Imo eundem Legatum, vigore in manibus ſuis habentium litterarum, (vti pariter nobis fidem dedit) Regem ſuum eo diſpoſiturum eſſe, vt, factis iſtis induciis, ipſius gener nobis Thaboram & Wittingauiam in Regno noſtro Bohemico ſitas vrbes abſque vlla mora reſtituat, & denique effecturum (ſi Banni executionem in ſuperiori Palatinatu, ſub durante iſta pacis tractatione, differremus) vt omnis Mãsfeldianus exercitus militari ſuo ſacramento iterum abſoluatur, quo melius, in noſtrum totiuſque Reipublicæ ſalutem, vires noſtras contra hæreditarium chriſtiani nominis hoſtem conuertere poſ-

Anno 1621.

ſemus. Id quod Dilect. V.ram, neceſſariæ informationis cauſa, latere noluimus, eidem peramico-fraternum noſtrum fauorem denuo obferentes,&c.

Bethleano-Turci Hungariam miſerũ in modũ ſpoliãt, ac deuaſtãt.

Gabrielem Betlehemum Tranſyluaniæ Principem in Regno Hungariæ inauditam tyrannidem atque immanem crudelitatem exercuiſſe, multas vrbes & pagos incendio miſerum in modum deuaſtaſſe, omniaq; loca infeſta illinc reddidiſſe, in ſuperiori nundinarum autumnalium cõtinuatione Hiſtorica diximus. Quamuis vero tum temporis cum omnibus ſuis ferme viribus Presburgum verſus ſeſe contuliſſet, vrbemque ſibi ſubiugare decreuiſſet, nihilominus tamen incaſſum laborando Æthiopem dealbauit, laterem lauit. Quibus tamen minime permotus Cæſareana caſtra ex improuiſo obruere eodem tempore conatus eſt. Verum Cæſareani, de hoſtis aduentu certiores redditi, ſibi ſuiſque ſedulo inuigilarunt, defenſione contraria hoſtilem impetum fortiter ſuſtinuerunt, D. hoſtium mactarunt, & ſimul, penes multos captiuos, opima tum temporis præda potiti ſunt. Verum enimuero eorundem lætitia ſubito iterum in triſtitiam mœroremque conuerſa eſt: ſiquidem poſtquam circa Kathſeam cum aliquot curribus pabulatum iuiſſent, ab hoſte, præter omnem ſpem & expectationem, depræhenſi

henſi omnibuſque rebus iterum exuti fue- Anno 1621.
runt. Poſtquam igitur, ob inſequentem
hoſtem, ſeſe in Schüttam recipere inibique
caſtra ſua figere neceſſum habuiſſent, Bu-
thiano-Hungari & Turci interea vireis ſuas
coniungentes, circa Laydam verſus Mo-
dalintzium, Badam, Neapolim, &c. tam im-
manem barbariem, & tam barbaram im-
manitatem, crudelitatemque inauditam ex-
ercuerunt, ac direptionibus, latrociniis, in-
cendiis, aliiſque nefandis facinoribus omnia
loca ita infeſta reddiderunt, vt etiam ſaxea
corda barbaries iſta flectere atque commo-
uere potuiſſet: ſiquidem plus quam tyran-
nico modo Viſcham, Erbacum, Vaſeldorf-
fium, & Gegelsbrunnam, Guiterawiam, vna
cum quibuſdam aliis pagis, abſque vlla mi-
ſericordia incendio deleuerunt ſoloque ad-
æquarunt. Qua tamen immani prorſus cru-
delitate barbari minime exſatiari potuerunt,
ſed inſuper iuxta Droskircham, Erſendorf-
fium, Badam, Neapolim, Lachſenburgum,
aliaq; circumiacentia loca, 100. aliquot ani-
mas, cum ingenti pecorum numero, capti-
uas ſecum deduxerunt.

Noua Stella in cœlo conſpecta.

Eodem hocce Septembri menſe, & qui-
dem eiuſdem die 12. lucida ſtella Viennæ
in firmamento cœli adparuit, quæ per vni-
uerſam noctem, vſque ad horam tertiam
matutinam, inconſuetos radios hinc inde

dese

Anno 1621.

de se sparsit. Illius autem significatio, proh dolor, hodierno perturbato tempore satis, & magis quam libet, liquet.

Belgium à tempestate aduersa magno damno adfectum.

Pari modo in Belgio, 15. huius mensis die, horrisonus ventus & cōtinua pluuialis tempestas subito exorta per integrum ferme huncce mensem durauit, cuius rei sane magna trepidatio apud Belgas exstitit, nouissimum diem præ foribus suis esse autumantes. Ambstelrodami siquidem aquarum impetus cellas vinarias, fornicatasque mercatorū officinas adeo perforauit, vt non dumtaxat ingentis pretij merces corruptæ, verum etiam multæ iisdem mercibus onustæ naueis à ventorum vehementia hinc inde dispersæ, quædam vero omnino aquis submersæ fuerint.

Bentzheymiū Starckenburgū, &c. à Spinolianis occupata.

Spinolianum exercitum, nomine & loco Cæsareæ Maiestatis, Steinam, firmissimum munitissimumque inferioris Palatinatus locum, feliciter antidhac occupasse, id omnib. & singulis ferme notum est: de eo igitur plura heic recensere supersedebimus. Quamuis autem Palatini tam opportunum rebus suis locum hactenus recuperare nullum non mouissent lapidem: nihilominus tamen in hodiernum vsque diem illo minime potiri potuerunt. Postquam autem Vice-Generalis Don Goncalco Fernandes de Cordoua cum suæ fidei concreditis copiis militaribus

interea

Anno 1621.

interea Palatinis caſtris aliquanto propius acceſſiſſet, eapropter ambo exercitus tamdiu in acie conſtiterunt donec Hiſpano-Bauarici tormenta ſua in Palatinos diſploſiſſent, 8. ipſorum equos traieciſſent, & Capitaneum Roedererum in duobus ipſius cruribus vulneraſſent. Veerius iccirco, Cæſareanorum ardore & intentione percepta, Manheymium verſus ſeſe recepit, & 15. equitum cohortibus Heydelbergam ſecedere imperauit. Interim tamen Cæſareani minime ceſſarunt, ſed in Palatinatum vlterius pedem ſuum intulerunt, Bentzheymium, Starckenburgum, atque adeo totam ferme Bergſtraſſam occuparunt. Illinc Franckenthalam ſeſe contulerunt vrbemque obſidione cingere cœperunt. De qua tamen obſidione, & aduerſa Cæſareanorum fortuna ſuo loco plura dicturi ſumus.

Anglicanus Ambaſſador à Cæſarea Maieſt. donatus clementiſſime dimittitur.

Circa idem hocce tempus Dominus Digbyus, Magni Britannicarum Inſularum Regis Ambaſſador, impetrata à Cæſarea ſua Maieſt. loquendi facultate, nomine ſui Domini Principalis & Regis, inter alia rogauit vt Cæſarea ſua Maieſt. Comitem Palatinum clementiſſime in gratiam iterum recipere, eidemque prouincias ſuas hæreditarias reſtituere ne dedignaretur, præſertim cum Regia ſua Maieſtas in Anglia, tanquam dicti illius Palatini Comitis Dominus Socer, rebellio-

Anno 1621.

bellionem istam nunquam adprobasset, sed viceuersa, generi sui excessus sibi semper displicuisset, multo minus ope consilioque ipsum adiuuisset. Quoniam vero Cæsarea sua Maiest. resolutionem suam vsque ad vniuersalem S. Rom. Imperij Ordinum conuentum distulit, legatus clenodio, 15. florenorum milliũ æstumato, ab eadem Cæsarea Maiest. donatus & clementissime iterum dimissus est.

Mansfeldiani tractum Norici direptionibus infestant.

Interea Mansfeldiani milites circa Norimbergam direptionibus aliisque hostilibus attentatis omnia loca infesta reddiderunt, præsertim vero Fallæ omneis illinc præsidiarios Norimbergenses, cum Frederico Schneidero ipsorum Capitaneo, absque vlla misericordia trucidarunt. Illinc versus Alsaltum, dimidio milliari ab Hersburgo situm, progressi inibique pari modo Capitanei Backhusij 80. forte milites omneis mactarunt, & eodem furore arcem Zierbaumiam omnino diripuerunt. Quamuis autem miseri agricolæ, tum temporis male informati milites istos Cæsareæ suæ Maiest. militaturos esse, grassatores istos, quorum 20. & 30. hincinde vagantes prædæ inhiabant, decenti more bene excipere, eosdemque ex finibus suis repellere potuissent, nihilominus tamen, maiorem periculosioremq; hostium incursionem metuentes, contrariam defen-

tionem

ſionem differre atque iſta, ad meliorem liberationem vſque, Deo Ter Opt. Max. patienter commendare neceſſum habuerunt. Hac autem petulantia prædones iſti tum temporis exſatiari minime potuerunt, ſed Warbergam ad Inluſtriſſimum Principem Heſſorum Dominum Lodoicum ſpectantem arcem direptam miſerum in modum deuaſtarunt, quo facto innocenti plebeculæ iterum nouus terror incuſſus eſt. Anno 1621.

Viceuerſa Sereniſſimus Bauariæ Dux Maximilianus, Cæſaream Commiſſionem ſibi curæ cordique eſſe ſentiens, rebus ita conſtitutis, cum exercitu ſuo Chamum vſque progreſſus vrbem, poſt vnum alterumque impetum factum, paucis ex ſuis amiſſis, occupauit. Quo facto Walterbachium & Reichenbachium monaſteria, & ſimul Niderawiam ſibi ſubiugauit, atque ab inquilinis & ſubditis homagium ſibi præſtari paſſus eſt. Cum igitur Equeſtris Ordo iis in locis Sereniſſimæ ipſius Celſitud. intentionem bene perciperet, maioremque intemperiem metueret, eapropter exhibito ſuæ Celſitud. libello ſupplici obſequioſe rogauit, ſin Religio & Regalia ipſis ſarta tectaque conſeruarentur, nec vlla in hiſce immutatio vel innouatio inſtitueretur, tum ſeſe lubentiſſime Sereniſſimæ ipſius Celſit. ſubmiſſurum eſſe: quo facto vniuerſus ſuperior *Superior Palatinatus Bauariæ Duci præſtat homagium.*

Palati-

Anno 1621.

Palatinatus ad præſtandum nouum homagium ſeſe promptum paratumque fore oſtendit.

Kermanthia à Buthianis & Turcis occupata.

Paulo ante Buthiani, ope atque auxilio Turcorum, cica 12000. munitiſſimam Kermanthiam facto in eam impetu, vehementiſſime oppugnarunt. Præſidiariis autem, quorum tamen non magis quam 200. erant, fortiter & maſcule ſeſe defendentibus nec vllo modo deditionem facere volentibus, hoſteis, ſummis viribus oppugnationem denuo repetentes, loco tandem potiti ſunt, in quo obuios quoſque tyrannico modo trucidarunt. Impetrata iſta victoria hoſtis cum exercitu Buntzam verſus ſeſe contulit, eandemq; vrbem pari hoſtili violentia ſibi ſubiugare conatus eſt: de cuius effectu ſuo loco plura commemorabimus.

Cardinalis Bellarmini obitus.

Decimoſeptimo huius etiamnum durantis menſis Septembris die celeberrimus, de Romano-Catholica Eccleſia, multifariorum gratæ poſteritati communicatorum egregiorum ſcriptorum ergo, optime meritus Cardinalis Bellarminus Romæ vitam cum morte commutauit, cuius cadauer poſtridie in templo Ieſuitarum, quorum Dux & Coryphæus fuerat, honeſto more tumulatum eſt, eiuſdemue exſequię à tum temporis pręſentibus ſuis collegis Cardinalibus pro decenti more celebratæ ſunt.

De

De Turcorum Imperatoris contra Polonos ſuſcepta expeditione bellica, & contraria defenſione maſculaque fortitudine Polonorum, contra eundem chriſtiani nominis hoſtem hæreditarium, ſupra, & quidem omnem rei vtrimque geſtæ ſeriem, aliquanto neruoſius & fuſius explicauimus. Cum vero interea in Regiis caſtris Polonicis, in quibus vltra 18. militum, mere equeſtris Ordinis, millia numerabantur, inter Polonos & 12. Germanorum millia ob diſſimilem hoſpitiorum & commeatus diſtributionem, periculoſus motus exiſteret, adeo vt ambæ partes hoſtiliter inter ſe inuicem digladiarentur, eapropter Germani, tamquam hoſte ſuo longe inferiores, & viribus eidem impares, tum temporis ſuccubuere & vltra duo millia à Polonis cæſi fugatique ſunt.

Germanorũ in caſtris Polonorum diſcordia & ſubſequuta eorundem ſtrages.

Eodem ferme tempore Rex Sueciæ potentiſſimam vrbem Liuoniæ Rigam, poſt vnam & alteram impreſſionem, centenis aliquot ex ſuis amiſſis, certis quibuſdam conditionibus occupauit.

Riga à Suecorum Rege conditionaliter occupata.

Rebus autem Cæſareanis in ſuperiori Palatinatu ſupra commemorato modo proſpere feliciterque ſuccedentibus, eapropter in Palatinatu inferiori quoque Cæſareæ Maieſtatis ac S. Rom. Imperij commodo atque emolumento inuigilare ſatagere: Circa fi-

Keyſerslauterum & Landſtulũ à Cæſareanis occupata.

Anno 1621. finem ſiquidem huius menſis Keyſerslauterum (in qua vrbe quidem Racquetus Capitaneus aliquandiu Cæſareanis fortiter reſtitit, & nihilominus tamen, Ciuibus aliud & forſitan maius periculũ metuentibus, per aliam portam dimiſſus eſt) & mox quoque Landeſtulum, quam arcem Nobiliſſima Sickingorum familia ab Electoratu Palatino tanquam feudum hactenus poſſedit, abſque vlla reſiſtentia occuparunt. Quo facto idem Cæſareanus exercitus Neapolim, Germersheymium aliaque circumiacentia loca circumſedit.

Res ante Iuliacum geſta. Ineunte hocce menſe Octobri præſidiarij Iuliacenſes, eruptionem faciunteis, omnis generis legumina in arcem inferre conabantur: verum ab Hiſpanis aliquot militibus depræhenſi, &, amiſſis aliquot ex ſuis (modo dicti ſiquidem Hiſpani ſex ex erumpentibus iſtis ipſo momento mactarunt, & duos ex iiſdem cæperunt) iterum retrocedere coacti ſunt. Vt autem obſeſſi hancce ſuam iacturam quodammodo Hiſpanis retribuerent, eapropter illo ipſo die ſtationarium quendam Hiſpanum militem globo tormenti traiecerunt. Quocirca Hiſpani, par pari itidem compenſantes, cum recens acceptis aliquot vnius ſigni, ipſis Reinberca ſubſidio tramiſſis, militibus, ad Peternichen-

nichensem portam & alibi circumiacentes Iuliacenses milites ex improuiso obruerunt, eosdemque, ab initio quidem paululum Hispanis resistentes, in fugam coniecerunt. Ipsum autem Iuliacum maioribus tormentis hocce tempore nondum quassatum, sed dumtaxat propugnaculum, & Comitum aliquot ædeis, vtpote Lincenichium, Niersteinium, Langenberga, & Monasterium ad auicularum cantum, zum Vogelsgesang / fortificatum est. Pari modo, & quidem circa idem tempus, omneis Officiales Iuliacenses, in vniuersali Prouinciali conuentu de præsenti rerum statu inter se inuicem consultantes, ad vlteriorem castrorum, præsertim vero equitatus, conseruationem, trecentos auenæ modios, & centenos aliquot stramine onustos currus in singulos menses contribuere promiserunt. De obsidionis huius euentu autem suo loco plura dicturi sumus.

Anno 1621.

In Italia hocce eodem mense Romanus Pontifex, pro gerendo etiamnum durante bello Germanico, in Cæsareæ Maiestatis emolumentum, 40. coronatorum M. Maximiliano Bauariæ Duci in numerata pecunia tramisit. Similiter & circa idem tempus magnus Turini Princeps omnibus suorum Comitatuũ dominiorumq; Gubernatorib. atq;

Rerum Italicarum descriptio.

Anno 1621.

officialibus ſerio iniunxit, vt omneis maſculini generis perſonas, cuiuſcunque etiam ſtatus, dignitatis, atque conditionis iſtæ ſient, tam nominibus propriis, quam cognominibus, ſedulo deſignarent, atque ſimul earundem omnium patriam eidem Duci proxima quaque occaſione tramitterent.

Cæſareani ante Franckenthalã cæſi fugatique.

Quarto menſis huius die Cæſareani, Steinæ in caſtris ſuis pro tempore adhuc ſeſe continentes, verſus Franckenthalam profecti vrbem intercipere decreuerũt. Quamuis autem obſidentes propugnaculis ante vrbem extructis ſeſe ita circumuallarint, atque aduerſus hoſtium ſuorum inſultus præmunierint, vt exinde ſingularem quandam vtilitatem percipere & ſperare potuerint: nihilominus tamen diuturna tempeſtate pluuiali (in qua ſane plurimi ad genua vſque tam diurno, quam nocturno tempore, in procinctu ſtare, & mandata ſuorum præfectorum officialiumque bellicorum expectare neceſſum habuerunt) aliiſque remoris impediti aduerſam ſane fortunam experti ſunt, licet vigeſimoprimo & ſubſequente die vigeſimo ſecundo Octobris obſeſſis magna detrimenta intulerint atque ex altiori loco ſplendida inquilinorum tecta, vt & magnam valli ciuitatis partem crebris tormentorum diſploſionibus demoliti fuerint:

rint: obsessi siquidem tam fortiter sese intrinsecus defenderunt, atque tormenta sua adeo contra hostem exonerarunt, vt non dumtaxat strenuus ille belli Dux Sickingerus, sed & permulti alij Cæsareani officiales militesque promptissimi ac fortissimi infelicem suum spiritum ante obsessam istam vrbem exhalauerint. Cum itaque etiam Mansfeldicæ militareis Copiæ insuper tum temporis aduentassent, Cæsareani, hostium viribus sese longe inferiores esse sentientes, relicta obsidione, ad Steiniaca castra sua sese recipere, inibique Bauaricum succursum præstolari necessum habuerunt. Anno 1621.

Vicennalis pax inter Polonum & Turcam conclusa.

De grandi præpotentique Polono-Turcica expeditione bellica, atque vtriusque partis felici prosperoque, respectiue, successu, paulo ante diximus. Cum itaque illo in loco inter alia mentionem fecerimus, quo pacto videlicet Poloni ad determinatam pacis tractationem ablegati magnifice excepti fuerint, eapropter tandem pax (postquam Turcorum Imperator in ista expeditione vltra 200. militum millia amisisset, atque ita pacem istam magis ex impatientia animique ægritudine, quam bona voluntate, cum Polonis inire necessum habuisset) ad viginti annos conclusa, confirmata, & pro tam insigni à christiani nomi-

Anno 1621. nis hoste reportata victoria debitæ gratiarum actiones persolutæ, atque denique à laudatissimo isto Polonorum Rege Cæsareæ Maiestati quindecim Cosaggorum millia contra Bethlehemum, aliosque Cæsareæ suæ Maiest. rebelles tramissa sunt.

Tabora à Don Balthasare vehementer, frustra tamen, oppugnata.

Paulo post, 13. videlicet huius mensis die, cum Tabora Cæsareæ suæ Maiestatis deuotioni sese nondum submittere, sed, viceuersa toto isto durantis adhuc obsidionis istius tempore, sese fortiter strenueque aduersus oppugnantium insultus defenderet, atque hoc modo de die in diem auxiliareis copias præstolaretur: iccirco Don Balthasar sibi, ne latum quidem vnguem recedere, priusquam demum vrbem istam subiugasset, certo in animum induxerat, quem in finem etiam eandem tribus horis integris, absque vlla cessatione, crebris tormentorum displosionibus ita infestauit, atque oppugnauit, vt lamentabilis sane eiulatus ab obsessis extrinsecus tum temporis exaudiretur. Verum iidem obsessi mox resumptis pristinis animis hostibus suis lapidum continuis eiaculationibus, omnique contraria defensione, non exiguum certe damnum detrimentumue intulere. Ex multis Cæsareanis militibus in oppugnatione ista Matrofskyus, Pfyrdius, Mosne-

Mosnerus, omneis Capitanei, vna cum multis aliis Officialibus bellicis expirarunt, Paradysus, belli Dux strenuus, per pedem & brachium, supremus locumtenens, belli Dux Mohrius & Bleylebius vero ictu lapidis sauciati sunt. Quamuis autem obsessi, vti quidem facillime colligere est, ab acceptis diuersimodis damnis minime immunes fuerint, nihilominus tamen commemoratus ille Don Balthasar à totali ista obsidione, vsque ad alia mandata, abstinere lubens voluit.

Postquam etiam, 18. huius mensis die, Serenissimus Inlustrissimusque Princeps Elector Brandenburgicus aduentum suum Varsouiæ inclyto Polonorum Regi significari curasset, iccirco Regia sua Maiestas, 500. Cosaggorum & ornatissimi equitatus comitatu, Electoralem ipsius Celsitud. in vrbem comitari iussit, præstitoque consueto homagio, eidem magna pompa, 23. die eiusdem mensis, feuda solemniter contulit. *Rex Poloniæ Electori Brandenburgico feuda confert.*

Circa idem ferme tempus Comes Emmericus Thurzo Niclausburgum versus, ad instantem Hungaricam pacis tractationem profectus est. Quoniam vero in ipso itinere manu Dei siue apoplexia tactus esset, eapropter etiam tractationi isti personaliter interesse minime potuit, sed Thyrnauiam, *Thurzo Niclausburgi moritur.*

Anno 1621. ad curandam aduersam corporis valetudinem, sese recipere necessum habuit. Paulo tamen post Generosissimus ille Comes, postquam ob acceptum venenum grauissimos intolerabileisque dolores atque cruciatus sustinuisset, Niclausburgi vitam cum morte commutauit.

Edenburgū ab Hungaris ac Turcis direptum.

Interea, Turcis, eorundemque mancipiis & Vasallis Betlehemico-Hungaris circa Edenburgum omnia loca direptionibus, latrociniis atque incendiis infesta reddentibus, Edenburgenses ciues, cōttidiana imminentia pericula præ oculis suis assidue cernentes, socia auxilia subsidiaque vehementer sollicitarunt, atque tandem, ad seriam istam suam petitionem, strenuum illum belli Ducem Laskyum, cum 300. spectatæ probatæque fidei atque fortitudinis militibus, impetrarunt. Viceuersa vero 700. Turci & Hungari coniunctis viribus modo dictos istos ciues (qui tum temporis circa colligendas vuas & vindemiam faciundam occupati erant) præter omnem ipsorum spem & expectationem subito, atque hostili, barbaroque more obruerunt, omneisque, 92. personis dumtaxat exceptis, absque vlla misericordia, pecudum instar, mactarunt, cæteros, oppido direpto, partim in vincula coniecerunt, partim grandi pecuniæ summa mulctarunt.

Hæc

Hæc dum commemoratis in locis agerentur, Mansfeldiusq; interim cum suo exercitu ex tractu Norico secederet, quidam vero ex suis Furthæ & Rodenbachij pernoctarent atq; direptionibus dicta iam loca infesta redderent, Mansfeldius, iusta ira exæstuans, illico duos ex raptoribus istis sclopetis suis transfixit, vnum gladio percussit, atque cæteros horum socios in crucem eleuare iussit, præsertim cum illud absque vlla legitima caussa à prædonibus istis factum, ipsisque à Norimbergensibus sufficiens panis, cereuisiæ, carnis, & auenæ commeatus adductus fuisset.

Anno 1621.

Mansfeldiani ante Steinam cæsi, VVormatiæ tamen opima præda potiti.

Cum autem idem ille Comes, 6. militum M. Franckenthalam, inferioris Palatinatus oppidum, de quo paulo ante facta mentio, adpropinquasset, exstructo inibi supra Rhenum ponte, ad Mannheymium & Franckenthalam tutum sibi accessum comparauit: qua de re non medioxume sibi gratulatus est, cumprimis quod Laborintus, strenuus equitum tribunus, cum equitibus suis sese cum ipso coniungeret. Quapropter, circa mensis huius finem arcem Steiniacam vel intercipere, vel armata manu expugnare decreuit. Erumpentibus autem Cæsareanis, hostem non solummodo in fugam coniecerunt, verum etiam, Mansfeldianis hinc inde dilapsis, & LXX. ex eorundem numero amis-

Anno 1621.

ſis, opimam prædam ab hoſte reportarunt. Atque hoc modo Cæſareani perpeſſam nuperam cladem ante Franckenthalam aliquantulum compenſarunt. Accepto hoc ante Steinam damno Mansfeldianæ aliquot equitum turmæ Vormatiam verſus profectæ, ex mero prætextu, & DICIS dumtaxat GRATIA, aliquot neceſſarias res ſibi in vrbe coemendas eſſe contenderunt, quibus emptis abſque illato ciuibus atque inquilinis damno, rurſum ſecedere ſeſe velle prætendebant. Accepta igitur ingrediundi & emendi venia, equites, promiſſorum ſuorum ante portam factorum immemores, illico hinc inde in vrbe obequitando diſcurrentes, ciuibus hoſtilia quæque interminati ſunt, atque loco, ob admiſſionem in vrbem, gratiarum actionis, 3. florenorum M. ſibi abſque vlla mora tradi violenter poſtularunt. Vormatienſes igitur Clerici & Iudæi, quo melius ex auaris iſtorum prædonum manibus ſeſe extricarent, eoſdemque iterum à portis ſuis auerterent, non contemnendam ſane pecuniæ petitæ ſummam ipſis tradiderunt.

Ambergenſes Cæſareæ Maieſt. præſtant homagium.

Qua ratione Sereniſſimus Inluſtriſſimuſque Princeps ac Dominus, Dominus Maximilianus, Vtriuſque Bauariæ Dux, &c. vniuerſum ferme Palatinatum ſuperiorẽ occupauerit, de eo ſupra inter alia verba fecim⁹.

Poſt-

 Anno 1621.

Postquam igitur Cæsareo-Bauarici Domini Commissarij, 22. huius mensis die in arce Ambergensi conuenissent, illico, ad factam prius Cæsareo-Bauaricam citationem, Senatus istius Reipubl. obsequiose comparuit, atq; absq; vlla mora, vsq; ad totalem controuersæ caussæ cognitionem atque sublationem, præstito obsequiosissime homagio, Cæsareanis Decretis sese humillima cum deuotione submisit, illud ipsum quoque à relliquis ciuibus postridie pari obseruantia & summissione factitatum est. Cum vero Dominis Commissariis nulla omnium ciuitatum, monasteriorum, præfecturarumque vniuersi superioris Palatinatus designatio tum temporis exhiberetur, quo circa Cancellariæ reformatio in aliud tempus reiecta est.

Biduo ante modo iam dictum Ambergensium Cæsareæ Maiestati præstitum homagium, 20. scilicet huius mensis Octobris die, Cæsareanus exercitus Hungaris, qui illo ipso tempore in Morauiam irruptionem fecerant, è vestigio quasi Rudischium vsque insequut⁹ est, hunc potissimũ in finem, vt ipsos vel ad prælium alliceret, vel eosdem omnino ex Morauia depelleret. Postquam vero 15. equitum cohortes vna cum Silesiacis militaribus copiis, sub Dn. Caroli Hannibal. imperio, Cæsarianis sese cõiunxissent, *Hungari à Cæsareanis cæsi fugatique.*

adeo

Anno 1621. adeo vt binæ aduersæ partes non amplius à se inuicem distarent & prælium committere necessum haberent: iccirco VVallensteinensium militum virtus atq; fortitudo cumprimis illo tempore emicuit. Cæsis enim Hungarorum DCC. III. signa ab hostibus accepta, pro felici bonoque nuncio, Cæsareæ suæ Maiestati Viennam remiserunt.

Principum Ordinumq; Silesiæ Cæsareæ Maiest. præstitum homagium,

Serenissimum Celsissimumque Dominum Electorem Saxoniæ, ex imposita sibi clementissima Cæsarea Commissione, Silesiam ad debitum Cæsareæ suæ Maiestat. obsequium reuocasse, illud suo loco ordine dictum est. Cum igitur ad præstandum homagium destinatus dies iam adpropinquaret, Magistratus Vratislauiensis, penes alias splendidas ad Electoralis ipsius Celsitudinis ingressum necessarias præparationes, conscriptas suas militareis copias, vt nimirum sub eodem isto Electorali ingressu bene decenterque instructæ ornatæque sese sisterent, admonuit, quemadmodum etiam illæ ipsæ, ante Serenissimo Domino Electori destinatum diuersorium vsque ad D. Elisabethæ templum decenti elegantique ordine constiterunt, aduentumque Serenissimæ ipsius Elect. Celsitud. præstolatæ sunt. Posthæc Serenissima ipsius Elect. Cels. nigro holoserico vestita, in equo suo eiusdem coloris holoserico considens, ad modo dictum Cathedrale

thedrale D. Eliſabethæ ſacrum templum cõ- Anno 1621.
ceſſit. A tergo Electoralem ipſius Cels. ſequebantur Sileſiaci Principes & Ordines, multis nobilibus, aliorumque Procerum ſummis Officialibus eamdem ſuam Electoralem Celſit. præcedentibus ac ſequentibus, atq; ad templum illud comitantibus. In templo autē iſto admodũ Reuerendus, Nobiliſſimus atq; Clariſſimus Dominus D. Matthias Hoe, Electorali ipſius Celſit. à Concionibus aulicis (*cuius viri heic ideo eo lubentius honorificam mentionem facio, quod non dumtaxat ipſius Coronationi & honori Doctorali in incluta Leucorea, penes lectiſſimam coronam Academicam, ſpectator & admirator interfuerim, verum etiam quod alias Inluſtrem iſtum virum, ob diuina contra Sanctæ Vineæ Lutherano-Orthodoxæ inuaſores, ouina pelle amictos, intus autem lupum rapacem recondentes, diuolgata ſcripta, rarum Dei donum æſtumem, illudque, pro ſuo merito, ambabus, vti aiunt, manibus ad cœlum vſque extollam, ac denique, peramicæ ſalutationis loco, eidem illud Poetæ heic ex Mœnofrancofurto noſtro accinam*: SEMPER HONOS, NOMENQVE TVVM LAVDESQVE MANEBVNT) in magna Magnatum plebiſque promiſcue frequentia, peracta prius ſuauiſſima harmonia Muſica, concionem ex Pſalm. 85. verſiculo VTINAM AVDIAM, &c. inſignem habuit, eamdemque cum ſalutari ad præſentem ſtatum accommodata precatiuncula concluſit.

Matthias Hoe ab Hoheneck, Nobilis Auſtriacus, coronabatur à Dom. Doct. Leõh. Huttero, in arcis æde ſacra Vitebergenſi, Doctor Theologiæ, A.C. M.DC IV. VI. die Martii.

Anno 1621. conclusit. Peracto, hunc, quem diximus, in modum cultu diuino, Serenissima ipsius Electoral. Celsitudo paulo ante dicto splendido comitatu in arcem Cæsaream sese contulit, in qua prænominati Inlustrissimi Silesiaci Principes & Ordines stipulata manu, iuramenti loco, homagium præstiterunt: quo facto in omnibus vrbis propugnaculis omnia tormenta displosa exonerataq; sunt. Postridie Ciues Vratislauienses ante Serenissimæ ipsius Cels. hospitium congregati, à Dn. Gaspare Schönbergio prius admoniti, facto ex sese cc. ciuium delectu, pari modo Cæs. Maj. deuotioni sese submiserunt. Præstito tam à Senatu, quam à ciuibus, homagio, Serenissima ipsius Elect. Cel. ciuitatis armamentaria perlustrauit, ac subsequente die Dominica Dn. Doct. Zachariæ Hermanni concioni interfuit, qua finita ad episcopum Nissensem (qui non ita pridem, nempe 5. mensis huius die, c. equitum & xx. curruum comitatu, Vratislauiam peruenerat) ad prandium cōcessit: Postridie autem, die Lunæ videlicet, Seniores ex Ministerio Vratislauiensi Euangelico opiparo lautoq; conuiuio excepit. *O sanctum Achillem nostrum Germanicum, & vere Maccabeum alterum, non tam aræ, quam foci perturbatißimo hocce tempore rationem habentem.*

Cæs. Maie. ab Electore Saxonia Or Paullo post semper meus (dū spiritus hos reget artus) Achilles Teutonico-Saxonicus,

eus, loco & nomine Sacratiſs. Cæſ. Maj. Inluſtriſſimis iſtis Principibus & Ordinibus, durantibus adhuc illis Vratislauienſibus Comitiis, ſequentem propoſitioné fieri curauit. Anno 1621. dinibus Sileſia facta propoſitio.

Romano-Cæſarea, Hungariæ, Bohemiæq; Regia Maieſtas, Imperator, Rex, atq; Dn. noſter clementiſſimus, Reuerendiſſimis, Generoſis, Venerabilibus, Nobiliſſimis, ſtrenuis, prudentiſſimiſq; Princip. & Ordinibus, inferiorisq; ſuperioriſq; Sileſiæ, Cęſareo-Regiã ſuam gratiã & clementiam impertire iubet, & hanc ipſorum præſentiã obſequioſiſſimamq; cõparitioné clementiſſime acceptat: nec quicquã Cæſareæ ſuæ Maieſt. vnquã gratius acceptiuſq; contigiſſet, quam vt præſens Inluſtri huic Conuentui adeſſe, & ita de communi ſua Sileſiæq; vtilitate conſilia ſua in mediũ conferre potuiſſet. Cum auté Cæſareo-Regia ſua Maieſtas, ob grauiſſima, quibus alias occupata eſt, negotia, coram iam adeſſe nequeat: eapropter nos plenipotentiã habentem Commiſſarium Cæſareum conſtituit, vt videlicet, Cæſareæ ſuæ Maieſt. nomine, de omnibus rebus neceſſariis in vniuerſali hocce Principum Ordinumque Conuentu, tractarem⁹. Illud ipſum ꝙ ex ſubmiſſiſſimo erga Cæſar. ſuã Maie. obſequio, & ſingulari amore & adfectione, erga ſupe: inferioriſque Sileſiæ Principes & Ordines, in noſtros humeros deriuari lubẽtiſſime paſſi ſum⁹. q̃uis vero Cæſareo-

Anno 1621. reo-Regia ſua Maieſtas ex intimo cordis ſui ſcrinio cumprimis exoptaſſet, vt nimirum non tam hoc quam alia etiam ſua regna & prouinciæ, in tam fortunato pacificoque ſtatu, more laudatiſſimorum Cæſareæ ſuæ Maieſ. Dominorũ Maiorum, permanſiſſent: nihilominus tamen cum Deus Ter Optim. Max. iuſta ſua pœna eaſdem prouincias & regna adflixerit, vt nuncij (qui, ſub prætextu relligionis & propria auctoritate, cum alienarum prouinciarum damno atque ruina, diteſcere cupiebant) perniciosiſſimorum iſtorum motuum auctores fuerint, Cæſareo-Regiæ ſuæ Maieſtatis fideles obſequioſoſque ſubditos, contra datam fidem & ius gentium turbauerint, tam inſigne ſpolium ex prouinciis auexerint, cum Turcis, Tartaris, &c. ſeſe coniunxerint, eorundem auxilio populos prouinciaſque debellarint, & intolerabili iugo ſeruitutis ſubiecerint, illa & ſimilia omnia mala ſane Cæſareo-Regia ſua Maieſtas ſummopere deteſtata fuit, neq; hactenus quicquam prætermiſit, donec ex ſingulari Dei Omnipotentis bonitate & clementia, cura & ſtudio vero Cæſareæ ſuæ Maieſtatis Ducatus ſuper: inferioriſq; Sileſiæ adeo pacato ſtatui iterum reſtituti fuerint, vt etiam, præ cæteris prouinciis damna detrimentaque bellica ad minimum ſenſerint. Cum itaque Cæſareo-Regia ſua Maieſtas minime

minme dubitet, obsequiosissimos Principes & Ordines, rebus ita constitutis, ad auertendum barbaricum istum hostem, eiusdemque inuasiones, Cæsareo-Regiæ suæ Maiestati pro virili auxilio futuros, atque, iuxta ipsorum promissa, & proprium sanguinem & fortunas suas impensuros esse: eapropter Cæsareo-Regia sua Maiestas Principes & Ordines clementissime rogat, vt D. thalerorum M. Cæsareæ suæ Maiestati in tantis angustiis fidelissime & promptissime succurrere minime grauentur, idque potissimum eo magis, quod aliæ multo inferiores, & bellis superioribus plus exhaustæ prouinciæ, in conferenda portione sua, non contemnendam sane contributionem Cæsareo-Regiæ suæ Maiestati antidhac præstiterint. Anno 1621.

Cum etiam obsequentissimos Principes & Ordines minime lateat, quantum videlicet in Hungariæ finibus situm sit, cuius rei caussa Principum Ordinumque laudabiles Maiores, laudatissimis itidem Cæsareæ suæ Maiestatis Antecessoribus in Regno Bohemiæ omni tempore promptissimo studio in periculis adfuerint maiora pericula autem iis in locis nunc immineant, nec vnquam istiusmodi mala metuenda fuerint, atque adeo Principibus & Ordinibus non minus, immo magis ferme, quam aliis Cæsareæ suæ

 Maie-

Anno 1621. Maiestatis regnis atque Prouinciis, impendeant: quocirca vt dicti isti Hungarici limites eo commodius conseruentur, ipsi Principes & Ordines quoque imposterum quiete & pacifice viuere possent, Cæsarea sua Maiestas itidem clementissime rogat, & obtestatur, vt, ad conseruandos istos limites, in singulos annos c. thalerorum M. alacri animo conferre haud grauentur. Postquam etiam cereuisiariæ pecuniæ ad aulam Regiam sustentandam potissimum destinatæ sient, eædemque etiam, paucis nunc dumtaxat annis exceptis, ante Cæsareæ suæ Maiestatis inchoatum imperium, omni tempore plenarie, absque sexti grossi derogatione, erogatæ fuerint. Itaque Cæsarea sua Maiestas similiter Principes & Ordines porro rogat, vt fideliter perpendant Cæsaream suam Maiest. non minus, quam antecessores eius, ipsis ope sua adfuisse, & imposterum quoque ad idem faciundum promptam paratamque esse: eapropter Principes & Ordines, præsertim cum Cæsareani reditus non dumtaxat nimis attenuati, verum etiam bona Cameræ aliaque Cæsareæ Maiest. æraria, per intestinum illud absque vlla Maie. suæ caussa siue culpa exortum bellum plane exhausta sient, eo alacrius & promptius commemoratas istas pecunias cereuisiarias Cæl. suæ Maje. porrecturos, eamdemq; contributio-

tributionem in decenniũ continuaturos esse. Anno 1621.

Cum etiam obsequiosissimos Principes & Ordines potissimum tangat, quod nimirum belli sedes ꝓcul à Silesia in alias lõge dissitas prouincias transferatur, ac tamdẽ non à propriis suis copiis militarib. aliquando impetãtur & obruantur: itaque Cæsareo-Regia sua Maiestas Principes & Ordines clementissime rogatos cupit, vt primum cum conscriptis suis militibus limites custodire, alteram restantemq; vero partem contra hæreditarium Christiani nominis hostem in Hungariam mittere, illudq; subsidium toto necessitatis durante tẽpore imposterum quoq; continuare, minime grauentur. Quemadmodũ etiam Cæsareo-Regia sua Majestas de bona Principum & Ordinum erga se propensione & voluntate minime dubitat, ita Maje. sua, ob hanc Cæs. suæ Maiest. factam fidelem contributionem, Principib. & Ordinibus consuetis hoc in casu literis Reuersalibus clemẽtissime cauebit, quod dictæ modo contributiones ipsorum Prisco-Neotericorum Priuilegiorum vigori ne quicquam derogaturæ sient, & alias itidem erga omneis & singulos hanc obsequiosissimam fidelitatem Cæsareo-Regia gratia atque clementia iterum compensare in omnibus occurrentibus neutiquam intermissura est. Nos vero, tamq̃ ordinarius legitimusque Cæsareæ suæ Maie.

Anno 1621. Commiſſarius, huius rei gratia obſequentiſſimorum Principum & Ordinum conſentientem reſolutionem expectamus, iiſdemq; amicitiam & Electoralem gratiam atque clementiam pollicemur.

Principum & Ordinū Sileſiæ reſolutio. Ad hanc Sereniſſimi Domini Electoris Saxoniæ, loco & nomine Cæſareæ ſuæ Maieſtatis, factam propoſitionem, Principes & Ordines Sileſiæ, in emolumentum Cæſareæ ſuæ Maieſt. in ſequentia contributionis puncta beniuolentiſſime conſenſerunt.

I. SeſeCæſareæ ſuæ Maieſt.diſtinctis terminis cccc.thalerorum M.

II. Ad Hungaricorum limitum cuſtodiam ſexannis continuis LXX. thalerorum M.

III. Pecunias cereuiſiarias, abſque ſexti groſſi derogatione, per decennium tramiſſuros, &

IV. ad militarium copiarum miſſionem quod attineret, in omnibus occurrentibus occaſionibus Principes & Ordines Cæſareæ ſuæ Maieſt. paratiſſimos promptiſſimoſque ſeſe exhibituros eſſe.

Ingens Lutetiæ incendium. Eodem hocce menſe Octobris, & quidem die XXIV. Lutetiæ Parriſiorum ingens noctu incendium ſubito exortum eximios pontes, Pont aux Changeurs, & Pont Marchant dictos, vna cum omnibus in iiſdem ſitis ædi-

tis ædi-

tis ædibus, tam à latere Palatij, vſque ad vi- Anno 1621.
am Pelletoriam, quam à latere magni Cha-
teleti, omnino conſumpſit, & inquilinis a-
liquot c. florenorum M. damnum intulit.
Quum vero inſignis iſtius incendij cauſſa
quidam maleferiati homines in ſuſpicio-
nem incurrerent, eapropter Regia ſua Ma-
ieſt. perueſtigationem iſtiuſmodi incendia-
riorum in publicis edictis ſeuere imperauit.
Miſeri autem iſti, per incendium illud ad ex-
tremam inopiam redacti, homines, omneis
& ſinguli, in Xenodochium quoddam D.
Lodoico ſacrum, incluſi per integrum ſeme-
ſtre liberaliter ſumptu Regio & habiti, &
tractati fuerunt, iiſdemque de pia quadam
contributione omnibus in Eccleſiis non im-
merito proſpectum eſt.

Halberſtadiani milites in Ducatu Brunſuicenſi cædun tur & fugãtur.

Poſtquam etiam, circa hoc ipſum tem-
pus, Chriſtiani Ducis Brunſuicenſis & Epi-
ſcopi Halberſtadenſis militareis copiæ in
Brunſuuicenſis territorij epiſcopatu Min-
denſi, Hildesheimenſi, aliiſque vicinis in lo-
cis incendiis, direptionibus, latrociniis, ali-
iſque hoſtilibus attentatis omnia infeſta red-
didiſſent, liberumque tranſitum petiiſſent,
Fredericus Vlricus Dux Brunſuicenſis, vna
cum Lunæburgenſibus, aliiſque Principi-
bus & Dominis, non dumtaxat ipſis tranſi-
tum minime conceſſit, verum etiam, vt ho-
ſtilibus & barbaris iſtis graſſatoribus matu-

Anno 1621. reiretur obuiam, coniunctis viribus, circa finem huius mensis, Nideræ, & Kirchgauderæ vltra D C C. vagabundorum istorum prædonum trucidauit, ac cæteros in fugam coniecit. Halberstadienses itaque, Principum & agricolarum, aceruatim adcurrentium, verbera non amplius ferentes, abiectis armis, & impedimentis cæteris post se rellictis, turpiter fugientes pedibus salutem quæritarunt: & hoc modo Principum miles, penes VI. vexilla, opima tum temporis præda potius est: Kniphusius vero, cum VI. peditum vexillis vlterius progressus, prope Steinheymium, Electoris Moguntini oppidum, à Delectu Moguntino ita exceptus & itineribus interclusus fuit vt cum suis non vlterius progredi potuerit, sed milites suos diuidere, partim vero plane à se dimittere necessum habuerit.

Rei monetaria in Rhenano circulo, &c. correctio. Quamta omnium rerum confusio, auaritia, atque circumscriptio hactenus, durantibus etiamnum vniuersalibus istis motibus bellicis, ex sola deprauatione & corruptione monetæ, satis quidem audacter, ne dicam petulanter, exstiterit, id proh dolor, non dumtaxat Meridiana luce clarius, verum etiam propria experientia isti nequitiæ luculentum magis, quam necessarium præbet testimonium. Vt autem communi isti

ni isti malo in tempore obuiaretur, eapropter hocce tempore in Electoratu Moguntino, totoque Rhenano Circulo nullius valoris tribacenarij omnino interdicti sunt, & Viennæ Austriacorum quidam Italus, vna cum filiis & aliquot ministris suis, in vincula ideo coniectus est, quod multa florenorum, nullius pretij tribacenariorum istorum, M. inuexisset, iccirco omneis promeritam pœnam declinare minime potuerunt. Pari modo perturbatus iste quoque, rem monetariam concernens, status in Principum Ordinumque Conuentu Vratislauiensi in maturam consultationem tractus est, & omneis sortes, singulæ iuxta valorem suum, æstumatæ sunt. Anno 1621.

Intereea Serenissimo Inlustrissimoque Principe ac Domino, Domino MAXIMILIANO, Vtriusque Bauariæ Duce, Ernestum Comitem Mansfeldium ex superiori Palatinatu in inferiorem quasi è vestigio subsequente, quidam ad rapinam direptionemque inclinantes milites, sub imperio Tillij, circa Furtham aliquos Norimbergicos & Marchicos pagos diripuerunt, vnum vero ex illis incendio plane deuastarunt. Quo facto modo dictus Dominus Generalis Tillius adeo exasperatus est, vt absque vlla mora quosdam ex raptoribus & incendiariis istis in crucem eleuari *Raptores milites in crucem acti.*

 iusserit.

Anno 1621.

iusserit. Quid autem inter ambos istos exercitus in Palatinatu inferiori gestum fuerit, id infra lectori beniuolo communicabimus.

Iagerndorffianorum circa Crĕbsieram magna strages.

Circa hoc tempus non dumtaxat Vicarius Regius Neapolitanus Cæsareæ suæ Maiestati, nomine Domini sui Principalis, Hispaniarum Regis, CCC. coronatorum M. ad bellum Germanicum contra rebelles Cæsareos conuertenda tramisit, verum etiam Cæsareanus exercitus Iagerndorffium, qui magnum Hungarorum numerum in Silesiæ Principatu suo circa præsidia distribuere conabatur, intrepide aggressus est, adeo vt IV. Iagerndorffianorum istorum M. à VVallensteinianis, Cæsareanorum autem non amplius CLX. (inter quos etiam Don Carolus desideratus est) tum temporis cæsa fuerint.

Don Rodrigo Calderon summo supplicio adfectus.

De diuturna captiuitate Don Rodrigi Calderonis, eiusdemue commissis grauissimis delictis, in præcedentibus Relationis Historicæ continuationibus dictum est. Postquam autem Regia sua Maiestas in Hispania, ante suum ex mortali caducaque hacce vita digressum, (quemadmodum in Principio huius nostræ Continuationis Historicæ inter alia commemorauimus) Regiæ suæ Maiestat. hæredi & hodierno Regi in obsignatis litteris serio mandas-

mandasset, vt videlicet iustitiam ante omnia coleret & administraret, iccirco dictus ille Rodrigo Calderon, ob enormem commissum excessum, quodque mortis Reginæ, Dominæ Margaritæ Austriacæ, conscius & reus fuerit, ad mortem condemnatus, eidemque, aliis in terrorem, in magno foro Madriti, multis nobilium ignobiliumque millibus præsentibus, per carnificem gula dissecta est. Anno 1621.

Ineunte Nouembri mense, & quidem sexto eiusdem die, Romæ apud Cardinalem Bandinium frequens congregatio habita, atque, in præsentia Cardinalium di Mellino, S. Susanná, Ludouisio, & Sacrati, ob petitam dispensationem, de nuptiis inter Infantem Hispaniæ & Principem Angliæ tractatio instituta est: de cuius effectu suo loco plura dicturi sumus. *Cardinaliũ circa Anglo Hispanas nuptias tractatio.*

Biduo post Romano-Cæsarea, Hungariæ, Bohemiæq; Regia Maiestas Hispanico Ambassiadori, nomine Domini sui Principalis Hispaniarum Regis, feuda Italica, nimirum Mediolani, Finalis, Senarum, & Piumbini, contulit, eundemque Ambassiadorem ad modo dictam feudalem collationem 50. equitibus, præcipuis ex equestri Ordine, comitari iussit. A dextris Hispani Oratoris supremus Regni Bohemię Cancellarius, Sdenco Adolpertus Poppelus Lobkouitius, à si- *Cæsar Regi Hispaniarũ feuda Italica confert.*

Anno 1621.

nistris vero Dominus Comes Hohenzollerensis, Imperio-aulici consilij præses, cum aureis velleribus, equitarunt. Quo facto lautissimum opiparumque conuiuium, in quo 700. fercula adposita sunt, paratum, & homines tam in aula, quam foris in platea dolio vini refecti & recreati sunt.

Episcopatus Spirensis à Mansfeldianis misere direptus.

Postquam igitur Mansfeldianus exercitus pedem in Palatinatum inferiorem intulisset, & Bauaricæ militareis copiæ eundem quasi è vestigio, vti paulo ante diximus, insequutæ fuissent, vt hoc modo nefandæ Mansfeldianorum grassationes, incendia, atque direptiones inhiberentur, quemadmodũ etiam aliquot Bauaricorum militum M. illum in finem Steinam sese contulerunt, eapropter Mansfeldiani, frænum hoc modo sibi iniectum esse videntes, illis in locis nõ diu commorati præsertim, cũ Fridbergenses & alios in Wetterauia hybernantes Cæsareanos aduentare animaduertissent, sed in Episcopatum Spirensem secedẽtes eundem miserum in modum diripuerunt, & soli ciuitati Bruchsaliæ 50. florenorum millia extorserunt.

Hungari ac Turci à Cæsareanis partim cæsi, partim capti.

Paulo ante Cæsareani prope Edenburgam aliquot Buthianicos Hungaros, in pago quodam vicino commorantes, præter omnem spem & expectationem subito irruerunt, & quosdam ex iis mactarunt, quosdam vero cæperunt. Interea autẽ reliqui Buthiani

ab ob-

ab obsidione Günssensi re infecta discesserunt, quos Esterhasiani equites excipientes omnẽ prædã ipsis ademerunt, 150. captiuos christianos redemerũt, 400. ex iisdem trucidarũt. & duo Turcorũ vexilla nacti sunt: similiter & Erdeodiani equites alio in loco cæteros Buthianos nacti, quosdã ex illis è vestigio obtruncarunt, & 300. plus minus, Turcos in Danubium compulsos aquis suffocarunt. Anno 1621.

Durante adhuc Principum Ordinumque Silesiæ conuentu Vratislauiensi, Bethlehemus & Iägerndorffius Principibus & Ordinibus illis per litteras significari curarũt, quo pacto videlicet magnus Turcorum Imperator per præcipuum quendam Bassam ipsis inter alia proposuerit, se eum potissimum in finem cum Rege Polonorum, ob grandem periuramq; istam infidelitatem, inducias facere commotũ fuisse, quam fœdifragi adhuc in hodiernum vsque diem contra Regem suum Fridericum exercerent, & tam sancte firmatas confœderationes periuro prorsus more ita turpiter postponerent, quocirca sese leuitatem istam punire, & cum numeroso Turcorum, Tartarorum, aliarumque barbaricarum nationum exercitu perfidas istas prouincias debellare decreuisse. Quapropter hancce fidelem suam ad- & exhortationem sibi curæ cordiq; esse paterentur, ac sui Regis partes iterum sequerentur: id ni facerent, *Bethlehemi & Iägerndorffi dolus in fumum abit.*

prouin-

Anno 1621.

prouincias iſtas tam deſolatas iri, illos ipſos autem omnibus ludibrio & ignominiæ futuros eſſe. Quas minaces ſane litteras Principes & Ordines acceperunt & pellegerunt, eaſdem tamen ſub originali retromiſerunt, ſequentibus verbis additis: de nullo alio Bohemiæ Rege ac Sileſiæ Duce nunc ſibi conſtare, quam de ſola Cæſarea Maieſtate, in cuius deuotione & obſequio ſeſe etiam ad extremum vitæ ſuæ ſpiritum vſque conſtantes permanſuros eſſe. Laruatus autem iſte internuncius Turcicus natione Hungarus, ac Turcicæ linguæ ſummopere peritus fuit, per quem laudatiſſimis iſtis Sileſiæ Principibus & ordinibus glaucoma obiicere & palpum obtrudere conati ſunt, qui inanis dolus tamen nihilominus poſtmodum in fumum abiit.

Leges veſtiaria in Hiſpania conſtituta.

In Hiſpania circa hoc idem tempus, ex conſtitutione Regij Senatus, iis mercatoribus, qui, contra Regium edictum, pretioſa collaria, tibialia, & iſtiuſmodi ſuperflua merę ſuperbiæ inſeruientia venalia in tabernis ſuis ſuſpenderant, merces ablatæ, in foro publico combuſtæ, ac breui tempore poſt ſalutares leges veſtiariæ ſancitæ atque conſtitutæ ſunt.

Res in Rhætia geſtæ.

Eodem tempore Gubernator Mediolanenſis, occupato Comitatu Cleuenſi, inibique Comite Serbellone pro Gubernatore relicto, Mediolani iterum appulit, Valoneſque

que & Neapolitanos Chiouam verſus able-gauit, qui non ſolummodo dictum iam modo locum, verum etiam vniuerſam vallem occuparunt. Paulo poſt iidem Neapolitani in valle Borchiana obuios quoſque, abſque vlla miſericordia, more pecudum, mactarunt. Licet vero Soles cum Rhæticis copiis in acie hoſtium aduentum præſtolatus fuiſſet, nihilominus tamen, viribus hoſte longe inferior, ſeſe cum omnibus ſuis militibus victori ſubmiſit. Cum etiam mulieres in inferiori Engadino lapidibus, verubus, aliiſque ſimilibus armis muliebribus ſeſe ad contrariam defenſionem maſcule præparaſſent, & Auſtriacorum militum vltra 80. crudeliter necaſſent, eapropter à cæteris militibus iterum illico obrutæ, & ex iiſdem non paucæ ſane mactatæ ſunt. Quo facto Rhætorum delegatus ad Gubernatorem Mediolanenſem ablegatus, pacis tractationem & armorum depoſitionem ab eodem petiit. Anno 1621.

Paulo ante Sereniſſimus Auſtriæ Archidux Leopoldus abſque vlla ſanguinis profuſione Bretigauenſes, Meyenfeldenſes, ſupe-inferioreſque Engadinenſes, Münſterthalenſes, Curienſium, omniumque trium confœderatorum inquilinos, &c. ſubiugauit, qui omneis & ſinguli, licet tamen antidhac pro inuictis habiti fuerint, impetrata victoris gratia deditionem fecerunt. Anteſignani

Archiducis Leopoldi in Heluetia ſucceſſus proſperi.

Anno 1621. gnani & Coryphæi vero, vna cum Caluinianis suis pastoribus, fuga sibi prospexerunt, à quibus aliquot armatorum virorum millia Tigurinum, S. Gallum, Bernam, Basileam, Schaffhusam,& in Imperiũ sese contulerunt. Eapropter Archidux tam in templis, quam in castris, grates Deo persolui iussit; peractis autem diebus aliquot lætitiæ tam equitum, quam peditum conscriptas suas militareis copias in vniuersa Rhætia circa præsidia distribuit, prouinciales vero milites, præmissa consueta gratiarum actione, singulos ad lareis suos remisit.

Taborensium deditio. Circa 18. huius mensis (Nouemb.) diem Tabora, quæ hactenus tam strenue, fortiter, atque mascule Cæsareanis sese obposuerat, & oppugnantium impetus aliquoties sustinuerat, accepta prius generali admissorum venia, suapte deditioné fecit: quo facto duo præsidiariorum vexilla, postquam primum ab vrbis Magistratu 2. mensium stipendia acceperissent, volantibus signis atque impedimentis suis egressi, econtra autem Cæsareanorum 3. vexilla ingressa sunt.

Regis Angliæ ad Cæsaream Maiest. littera. Eodem quoque hocce mense Serenissimus Potentissimusque Britannicarum Insularum Rex ad Cæsaream suam Maiest. sequentem epistolam ablegauit:

Salutem & felicitatem perpetuam, &c. Potentissime Inuictissimeq; Princeps, frater & ami-

& amice suauissime ex eo, quod, Bohemicorum motuum causa, tam per nostrorum Delegatorũ solertiam, quam Potentissimorum Principum in Europa intercessionẽ, perfecimus, non dumtaxat vniuerso terrarum orbi, quam ipsi V.ræ Cæs. Maiest. satis cognitum manifestumq; est, quanto desiderio gratã pacem iam dudũ exoptauerimus: eapropter nemo mirari debet, ꝙ admodũ nobis peregrinũ videatur, Generũ nostrũ, illo ipso ad pacẽ faciundã destinato tempore, imo contra ipsã Cæs. V. M. datam responsionẽ, hæreditariis suis prouinciis, quæ hactenus ipsi illæsæ in residuo permanserant, fuisse spoliatum, dum à Bauariæ Duce, ex Cæs. V. Maiest. mandato, (vti quidem ille prætendit) superior Palatinatus armata manu occupatus fuerit, idque ex tali causa, quæ hactenus plane noua atque inaudita, cum tamen ex responsione, quæ à Cæsarea Vestra Maiest. nostro Legato tum temporis data fuit, satis luculenter appareat, quod proscriptionis siue banni executio istis in locis seposita siet, & arma non prius antequam illud nobis ante 3. menses significatum fuisset, sumi debeant: imo quod etiam post subsequutam istam responsionem, ex Cæs. V. Maiest. iussu, Palatinatus inferior hostiliter infestatus, & potior illius pars ab Hispanicis militibus, non absque manifestissimo periculo atq; iactura totius Anno 1621.

tius

Anno 1621. tius Prouinciæ, occupata fuiſſet, niſi inſperatus quidam modus eamdem ab imminenti periculo liberaſſet. Cum igitur, diligenti facta conſideratione, animaduertamus, quantæ videlicet incommoditates ex iſtiuſmodi procraſtinationibus exortæ ſient, & in futurum procul omni dubio eadem de cauſa maiora mala exoriri, atque deinceps eo difficilius componi poſſent: eapropter omni æquitati conſentaneum eſſe autumamus, vt tandem infelici iſti intemperiei aliquando per Cæſaream V.ram Maieſt. finis maturetur. Atque hunc in finem in medium adferemus, quid Cæſarea V.ra Maieſt. Genero noſtro tribuere, h. e. ipſum in priſtinam gratiam atque fauorem recipere, eidemque prouincias ſuas hæreditarias vna cum titulo reſtituere dignetur, quas poſſedit, antequam Bohemorum patrocinium in ſeſe ſuſcepiſſet. Alterum, quod Gener noſter præſtare tenetur, hoc eſt:

I. Vt nimirum iuri & prætenſionibus ad Bohemiæ Regnum, eidemque incorporatas prouincias, pro ſe, ſuoque filio, omnino renunciet.

II. Vt debito obſequio & reuerentia Cæſareæ V.æ Maieſt. ſeſe ſubiiciat, quemadmodum in iſtiuſmodi caſibus à principibus, ipſi genere & dignitate æqualibus, fieri aſſolet.

III. Vt reconciliationis iſtius beneficium

à Cæ-

à Cæſarea V.ra Maieſtate in genua proſtratus impetret. Anno 1621.

IV. Ne per clandeſtinas confœderationes, vel alium inconceſſum modum, pacificum quietumq; ſtatum Cæſ. V.ræ Mai. Regnorũ, Principatuum atq; Imperium impedire, vel moleſtare, ſed viceuerſa omne illud lubens & abſque fuco facere velit, quod ad conſeruationem Cæſareæ reputationis & potentiæ pertinere videatur.

V. Ad cæteros S. Rom. Imperij Principes, tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares quod attinet, cum quibus, per vnionem iſtam noua diſcordiarum ſemina iacta diſſeminataque ſunt, cum illis ſingulis, pro virili & quantum ſane in ipſo eſt, reconciliabitur, & impoſterum cum illis ſanctam pacem amicitiamque minime fucatam colet, illaq; tamdem media arripiet, quibus omnes rixæ commodiſſime tolli poterunt, quo tandem omneis hoſtilitates aboleantur, & omneis ex iſta diſcordia exorti infortunij obliuio inſtituatur.

VI. Alia nondum ſufficienter nota, vel hactenus omnino incognita, huic reconciliationi tamen neceſſario inſerenda, in humeros noſtros deriuari lubentes patimur ſi modo Cæſarea V.ra Maieſt. quid factu opus ſiet, indicabit: quibus omnibus ſane gener noſter, iuxta omnem rationem & æquitatem, parere tenebitur.

Anno 1621. Et hanc noſtram interceſſionem quidem ſi Cæſ. V. Maieſt. eo animo, quo deferimus, acceptauerit, luculentiſſimũ id erit teſtimoniũ promptæ erga nos voluntatis & adfectionis quam omnibus humanitatis officiis, non ſolummodo erga Cæſ. V. M. quã vniuerſam domũ Auſtriacam compenſabimus, & maiora fœdera, pro veſtro lubitu, inibimus. Sin vero, q abſit, iſta legitima noſtra petitio nullũ locũ habere debeat, vel noua obſtacula ex prioribus quærãtur, præſertim cum nunc aliquot menſes promiſſam Cæſ. V. M. reſolutionẽ fruſtra expectauerim⁹: ita nemo nobis vertet vitio, ſi publice & corã vniuerſo mundo arma induamus, & pro paternis hæreditariiſq; bonis ac titulis noſtræ concordiæ pugnemus, cum illorũ à natura, iuſtitia, & Regia noſtra dignitate protectores ſimus, præſertim cum Genero noſtro nouos titulos adquirere neutiquã cupiamus, quos Comes Palatinus, tum temporis, in quo ipſi filiã noſtram vnicam matrimonio locabamus, abſque vlla cõtradictione antea obtinebat, cuius per diuinam gratiã tot conceſſos liberos ope auxilioque deſtitutos relinquere nullo æquitatis titulo poſſemus. Poſtquam etiam omnibus legitimis mediis tam æquiſſimum noſtrum votum conſequi hactenus conati fuerimus, eapropter Cæſ. V. Maieſt. eo minus nobis in malam partem interpretabitur, quod, ſpe

noſtra

nostra delusi, aliam defensionis viam quæsiuerimus. Anno 1621.

Quum autem certo siet certius, quod illud absq; totius christianitatis damno detrimentoque, vel perturbatione pacis publicæ cum domo Austriaca initæ, cui hactenus semper & studuimus & bene voluimus, fieri nequeat, eapropter in hoc totius negotij cardo vnice vertitur, vt Cæs. V. M. pro summa sua prudentia & pietate, malo isti in tempore occurrat, & fraterna nostra amicitia lubentius vtatur quam nobis ad violenta consilia etiam contra nostram voluntatem ansam occasionemque præbeat. *DEVS Ter Opt. Max.* Cæsaream V. Maiest. in felicissima prosperitate adhuc diutissime conseruet, eiusdemque animum eo flectat, vt tandem vniuersalis pax & concordia in vniuerso terrarum orbe christiano conseruentur, &c.

Lodoici Hassia Landgrauii ad Episcopum Halberstadensem epistolium monitorium.

Christianum Ducem Brunsuicensem & Episcopum Halberstadensem, post in Ducatu Brunsuicensi perpessam cladẽ, cum restantibus suis copiis militaribus fuga sibi prospexisse, de eo supra inter alia diximus. Postquã igitur 13. equitum turmis Westphaliam transiisset, & Amœneburgũ, Archiepiscopi & Electoris Mogũtini arcem & oppidulum, adpropinquasset, illud occupasset, & vna cũ aliquot pagis diripuisset, eapropter Inlustrissimus Celsissimusq; Princeps & Dominus,

Anno 1621. Dominus Lodoicus Hassiæ Landgrauius, &c. per Delegatos suos modo dictũ Ducem Christianum sequẽtem ferme in modũ peramice admoneri curauit: postquam vulgari fama diuolgatum siet, exercitum in Saxoniæ inferioris territoriis collectum ad Rheni fluenta properare: vicini Electores, Principes & Ordines vero ingentia damna aliquot nũc ab annis à similibus istiusmodi militariũ copiarũ transitibus perpessa nondũ superasse, ipsos quoq; vna nobiscum sibi adhuc probe reuocasse in memoriam quatenus videlicet Romano-Cæs. Maiest. Dominus noster clementissimus, in distinctis aliquot diuolgatis mandatis Cæsareis, S.R. Imperij Ordinibus, cum interminatione consuetarũ pœnarum, clementissime iniunxerit, ne vlli exercitui transitus concederentur, aut suppetiæ eidem ferrentur, nisi prius S.R.Imp. Constitutionibus per omnia satisfecisset. Cum vero nos, tamquã obsequiosi Electores & Principes, istis per vniuersum Imperiũ diuolgatis mandatis Cæsareis decẽti more parere teneamur, eapropter necessariũ prius fuisse existimauimus, vt iusto tempore videlicet, & antequam exercitus iste pertransiret, eius rei gratia Ducis Christiani Dilect. certiorẽ redderemus, eandemq; simul peramice rogaremus, vt, si forsitan paulo ante dictis S.R. Imp. Cõstitutionibus minus parere vellet, terris hisce periculo-

riculosis militarium suarum copiarum transitibus vel parcere, vel omnino recedere ne dedignaretur, &c. Anno 1621.

Ad hanc Inlustr. Cattorũ Principis monitiunculam Dux Brunsuicensis, & Episcopus Halberstadensis, sequentẽ in modũ respõdit: S. P. & officia nostra promptissima, paratissima: Inlust. Celsiss. Princeps peramice Gentilis, &c. Dil. V.[ræ] Delegatorũ oralem propositionẽ bene intelleximus. Respõsionis loco autem Dil. V.[ræ] peramice pollicemur nos omnem daturos operã, vt copiarũ nostrarum militariũ transitib. ditionibus atq; dominiis vestris parcatur, iisdemue idoneè caueatur. Quum autem simul animaduertamus, q̃ Dil. V.[ra] nobis nõ dumtaxat aditũ intercludere, verum etiam turmas nostras cædere meditetur, id sane pro tempore credere nondũ possumus, præsertim cum aduersus Dil. V. nihil hostiliter mouere cogitemus. Sin vero, contra omnem spem & expectationẽ nostram, nobis nostrisq; militibus aduersi quidpiam ab vllo mortalium inferatur, eidem & nosmet decenti more obuiaturi, & vim vi repulsuri sumus. Id quod tamen lubentius, prætermitteremus: Dilect. tamen V.[ræ] omnem nostrã amicitiã & officia denuo deferentes, &c.

Episcopi Halberstadensis responsio.

Interea vero Inlustrissimus Princeps Hassiæ minime cessauit, sed, pro paterna sua erga patriam cura, iterata vice ad eundem Episcopum

Lodoici Lãdgrauii ad eũdem Episcopum secũda

Anno 1621. *epistola adhortatoria.*

pum Halberstadensem sequentem in modum scripsit: S. P. & officia nostra paratissima: Reuerendissime Inlustrissimeque Princeps, peramice Gentilis: Nostri ad Dil. Vestram ablegati Consiliarij, præfectus & syluæ præfectus Melchior à Lerbach, Guilielmus Schetzelius in Mertzhausen, & Vlrico-Euerardus à Buseck, &c. obsequiosissime nobis significarunt, sese apud Dil. V. mãdata nostra exposuisse, & responsum accepisse, Dilect. V. nostris subditis nullam omnino iniuriam illaturam, modo ab aditu non arceretur, nec interclusione ista forsitan in proposito suo impediretur: intellexisse tamẽ inter alia, nos in conscribendis tam equitum, q̃ peditũ aliquot cohortibus occupatos, ac ita vna cum Reuerendiss. Dom. Electore Moguntino, & Episcopo Herbipolensi, Dil. V. aditũ interclusuros. Pro tam peramica igitur Dil. V. resolutione, peramicas eidẽ grates persoluim⁹, & quemadmodum hactenus, vti sane speramus, Dil. V.ʳæ ad nullum quiddam contrariũ ansam occasionemq; præbuimus, ita & imposterum quoq; iisdem humanitatis officiis Dilect. V. præstandis obligati permanemus. Percipimus autem viceuersa Dil. V. equites hincinde in nostros Magistratus hostilẽ irruptionẽ fecisse, miseros innocentesq; nostros subditos partim sclopetorũ displosionibus, partim alio mortis genere mactasse, præfectũ nostrum

nostrum Lerbachiũ, & Tschernemelium in Friedelnhausen spoliasse, & nullam non nequitiam prætermisisse. Cum itaq; Dil. V. excessuum istorũ displicentiam præ se tulerit, eapropter speramus, ac simul Dil. V. peramice rogamus, vt contra sontes talem sane inquisitionem & executionem instituat, vt alij non dumtaxat inde exemplum capiant, verum etiam ab istiusmodi hostilibus molitionibus imposterum omnino abstineant.

Anno 1621.

Ad Dil. V.[ræ] intentionem vero, transitionẽ hancce cõcernentem, quod attinet, illam sane, tanquam causam minus notã, suo loco relinquimus. Cum vero Vice-Generalis Cæsareano-inferiori-Burgundicorũ castrorum antehac nos de aduentu exterorum aliquot militum, sub imperio Donæ, certiores reddidisset, eosdem pro suspectis & Cæs. S. M. Domini nostri clementissimi hostibus habuisset, atque tam nos, quam alios etiam vicinos peramice rogasset, ne vllis contra Cæsarem aduentantibus copiis militaribus vel Mœni, vel Rheni transitus concederetur, alias culpam in huius auctores tralatam iri: iccirco facile quiuis sanæ mentis exinde colligere potuit, ni quilibet S. R. Imperij status suo loco istiusmodi periculosos transitus præcaueret, quod tum ille belli sedem necessario in proprium suum principatum & territoria inuecturus esset, quamobrem tam ipse Dona,

Anno 1621. quam eiusdem Commissarius Hohenbrockius, eius rei certiores redditi, & de retrogressu admoniti, absque vlla tergiuersatione dicto audientes fuerunt, imbecilles suas vires graui periculo implicatas, tempestiue cõsiderarunt, nec vlterius tum temporis progressi sunt. Idem nunc Dil. V.ræ peramice significare volumus, certa infallibiliq; spe freti, Dil. V.ram in nostrum Principatum atque dominia belli sedem, ad eorundem totalem interitum & perniciẽ, per huncce suum progressum, tralaturam, multo minus seipsam in periculum præcipitaturam esse.

Quod autẽ vna cum quibusdã superioris huius Rhenani, aliorumq; vicinorũ circulorũ, Electoribus, Principibus, & Ordinibus, rebus ita cõstitutis, præparationẽ quandam bellicã contrariã instituere, interminatumq; periculũ & ruinã ditionũ nostrarũ pro virili à finibus nostris auertere, necessum habuerimus, id sane neq; V. Dil. neq; alius quispiam nobis tantominus malã in partẽ interpretabitur, quãto minus & inferioris Saxonici circuli Principibus & Ordinibus vitio verti possit, quod nullos S.R. Imp. Cõstitutionib. aduersantes trãsitus amplius admittere decreuerint.

Cum itaque & similiter ambo isti inferioris Burgundici & Bauarici exercitus Generales Dilect. V.ræ tam equitibus quam peditibus obuiare, eidemque itinera intercludere

dere

Anno 1621.

dere ſibi in animum induxerint, nobis quoque Principatus & Dominiorum noſtrorum ſaluti atque proſperitati inuigilare ſummopere incumbat. Dilectio autem Veſtra non tam noſtrum Principatum, & innnocentes ſubditos, quam etiam ſeipſam ſuoſque ab imminenti periculo quamprimum liberare poſſit, (præſertim quum Dilect. Veſtræ non tam Mœni quam Rheni tranſitus intercludatur) ſi ex huius ſuperioris Rhenani circuli limitibus pedem retroferre & à propoſito ſuo abſtinere maluerit. Iccirco, ex ſingulari erga Dilect. Veſtram propenſione & inclinatione, quam ſimiliter nobis à Dilectione Veſtra ſumus polliciti, neque, quemadmodum ſane nobis ſcire licet, ad contrarium quiddam anſam præbuimus, rei iſtius qualitatem peramice Dilection. Veſtræ reuelare, eamdemque ſimul rogare voluimus, vt heic tutam, excuſabilem, minuſque periculoſam viam eligere, ac certo denique ſtatuere velit, nos, tamquam fidelem amicum & Gentilem, nil aliud ſuadere, quam quod Dilect. Veſtræ honorificum & vtile futurum ſiet: quemadmodum etiam hoc Dilect. Veſtræ factum apud Electores, Principes, & Ordines, præſertim vero hæreditario-fraternas coniunctaſque Electo: & Principales domos, Saxo-Brandeburgicas, neque minus apud noſtro ſanguine iunctos, cumprimis autem Laudatiſſimos

Anno 1621. tiſſimos Principes Brunſvvicenſes, Luneburgenſes, ac VVurtenbergenſes ſummopere prædicare, & peramice, in omnibus occurrentibus occaſionibus, recompenſare nullo non tempore prætermiſſuri ſumus.

Eiuſdẽ Dn. Landgrauii ad Ducem Chriſtian. epiſtolium tertium.

Ne vero idem Pelecanus Haſſiacus (*eumdem Dominum Landgrauium Lodoicum non tam ſuæ Haſſiæ, quam meæ Patriæ, Ciuitatis Mœno-Francfurtenſis, protectorem intelligo, eiuſdem Celſitud. ob ſuperiori æſtate clementiſſime mihi tramiſſum ἀντίδωρον, & ſimul eiuſdem Concionatori aulico, Domino D.* IOANNI VIETORI, *Patrono, & amico meo numquam intermorituro, ob factam tum temporis apud Inluſtriſſimum Principem interceſſionem, heic publicas atque immortales ago gratias, meque ac mea ſtudia Inluſtriſſimæ ipſius Celſit. humillime commendo.*) quicquam intermitteret, quod ad vniuerſalis patriæ ſalutem atque proſperitatem ſpectare videretur, eapropter ad toties nunc dictum Ducem Chriſtianum, Halberſtadienſem epiſcopum, tertia nunc vice ſequens propria ſua manu exaratum tramiſit epiſtolium.

Reuerendiſſime, Inluſtriſſimeque Princeps, peramice & Dilecte Gentilis. Certo credat Veſtra Dilectio, me, antequam de veſtræ Dilect. has in terras progreſſu vlla facta mentio, hactenus ſemper, militarium tranſituum cauſſa, iuxta exemplum inferioris Saxoniæ Circuli, cum Vicinis rationem iniiſſe, adeo

se, adeo vt Dilectioni Vestræ numquam in mentem veniat, quod ex singulari inimicitia contra Dilect. Vestram aliquid attentare velim, præsertim cum à Dilect. Vestra maiorem mihi amicitiam, quam inimicitiam, hactenus semper fuerim pollicitus, & imposterum quoq; Dilect. Vestræ, omnibusque suis sanguine iunctis, quemadmodum & hactenus, ita & imposterum inseruire decreuerim. Itaque Dilect. Vestram peramice & officiose rogatam volo, ne in malam partem mihi interpretetur, quod, cum honore & reputatione mea, à vicina Correspondentia, quæ quidem non latius, quam ad insperatos transitus sese extendit, recedere non valeam. Palatinæ cõtrouersiæ me numquam immuiscui, neque id imposterum quoque facturus sum. Quum autem per mutifarias istiusmodi militareis diuersiones tamdem hæ prouinciæ omnino pessumdarentur, ideo, ex præscripto Sacr. Roman. Imperij constitutionum, vicina ista bona Correspondentia fieri oportuit. Iterata igitur nunc vice Dilect. Vestram rogo, vt terris hisce parcere, aliisque in locis gloriam & reputationem suam augere, & forsitan contra Christiani nominis hostẽ hæreditarium vires suas conuertere, quam suos amicos & innocentes perdere, vel ad minus premere, dignetur: cum tamen alibi heroicum suum animum, in totius Christiani-

Anno 1621.

Anno 1621. tatis emolumentum, magna ſane gloria conſpicuum reddere, principalemque ſuam perſonam magna ſua reputatione celebriorem reddere poſſet. Dilectio Veſtra, quod itidem rogo, mihi magis obtemperet, quam aliis, vobis forſitan non ita bene, ceu nos, cupientibus, Dilectionemque Veſtram maioribus difficultatibus implicantibus. Recedat, in Dei nomine, ex hoc Circulo in Prouincias Belgicas, & in futurum iuſtiuſmodi ſane reſolutionem concipiat, quemadmodum commemorato modo ſcripſi, exinde ſiquidem honorem magnamque reputationem atque, quod maius eſt, diuinam benedictionem conſequetur. Poſtquam etiam Dilect. Veſtr. me indignum ſuum patrem compellare & in talem acceptare dignata ſiet, eapropter eo audacius Dilectionem Veſtram fideliſſime atque paterne huius rei cauſſa admonere, ſimulque iterum atque iterum rogare volui vt hancce meam adeo paternam ad: & exhortationem æqui-bonique conſulere ne dedignetur. Dilect. Veſtram Dei Ter Optumi Maxumi protectioni commendans.

Episcopi Halberſtadenſ. reſponſoria & Lädgrauio bellum denunciantes litteræ.

Ad paternam iſtam Inluſtriſſimi Heſſorum Principis epiſtolam adhortatoriam, epiſcopus Halberſtadenſis, non ceu patri filius, ſed vt amico hoſtis, ſequentibus minacibus verbis reſpondit.

Inlu-

Inlustrissime, Celsissimeque Princeps, peramice Gentilis, &c. Dilect. Vestræ litteras accepimus, & ex omnibus earumdem circumstantiis contrariam Dil. Vestr. mentem & intentionem bene intelleximus. Etiamsi vero de vestra Dilect. nobis aliud quidpiam polliciti fuissemus, quod videlicet eadem cum suo delectu nobis itinera intercludere minime debuisset: nihilominus tamen ipso facto nunc depræhendimus, Dilect. Vestram cum conscriptis suis equitibus peditibusque, vna cum putatitio suo delectu nobis aditum & transitum intercludere omnino decreuisse. Quoniam autem idem Dilect. Vestræ delectus, tam equites quam conscripti pedites nullum prorsus nobis terrorem incutiant, multo minus à Dilect. Vestræ persona, eiusdemque complicibus, quicquam metuamus: quod itidem inferioris Burgundiæ circulus nobis Rheni Mœnique traiectum intercludere conetur, atque ita nos cum despectu in Belgium proficisci iusseritis, nihilominus tamen certo statuite nos ita instructos esse, & talem sane resolutionem concepisse, quod, auxiliante adsistenteque nobis diuina gratia, absque omnium mortalium impedimento siue remora intentionem nostram in effectum deducere velimus: interea Vestra Dilect. ipsa reputationem suam, per præmonstratam nobis incommoditatem,

Anno 1621.

Anno 1621.

tatem, quam apud vicinos nullo ſane cum decore teſtatam fecit, ſibi curæ eſſe patiatur, & eius rei gratia ſeſe purgabit, ad noſtram perſonam ſiquidem quod attinet, noſtro officio numquam defuturi ſumus. Sin etiam à Dilecti. Veſtra in minimo forſitan hoſtiliter tangamur, tum certo ſibi perſuadeat, nos in illius dominiis atque territoriis nolmet ita geſturos eſſe, vt & poſteri nepotes de iſtiuſmodi noſtris graſſationibus olim conquerantur. Quæ Dilectio. Veſtræ pro informatione reſcripta ſunto, & cæt.

Lodoici Heſſorum Principis ad Mauritium Haſſiæ Lãdgrauium litera.

Sub hoc triſti perturbatoque omnium rerum ſtatu, idem ille Dominus Landgrauius ad Mauritium Heſſorum Principem, ſequentes litteras ablegari curauit: Sal. Plurim. & peramica noſtra officia, &c. Inluſtriſſime Princeps, peramice Gentilis, frater, atque compater: Dilection. Veſtram celare minime poſſumus, nos (poſtquam intellexiſſemus Reuerendiſſimum Inluſtriſſimumque Principem ac Dominum, Dominum Chriſtianum, Ducem Brunſvvicenſem, ac Epiſcopum Halberſtadenſem, &c. peramicum dilectumque noſtrum Gentilem, cum conſcriptis aliquot equitum cohortibus in principatus noſtri limitibus, & vicinis quibuſdam ad Reuerendiſſimum Archiepiſcopum & Electorem Moguntinum

num ſpectantibus præfecturis, direptionibus & cædibus miſeris noſtris ſubditis intolerabilia damna intuliſſe) quoſdam ex cõſiliariis noſtris ad ipſius Dilect. ablegaſſe, eamdemque ad retrogrediundum peramice admoneri curaſſe. Cum vero à propoſito ſuo ne latum quidem, vti aiunt, vnguem recedere, ſed inſtanter progredi conaretur, operæ pretium, immo ſummopere neceſſarium eſſe autumauimus ſi omnem rei circumſtantiam Dilectioni ipſius, vti factum, ſignificaremus, quemadmodum ex inſerta copia, ſub Litt. A. Dilectio Veſtra aliquanto neruoſius & melius cognoſcere poterit. Anno 1621.

Verum enimuero quum ex omnibus circumſtantiis metuendum, Ducis Chriſtian. Dilectionem, ni mentem mutare volet, incertam dubiamque quamdam fortunæ aleam non dumtaxat iacturam, verum etiam belli ſedem omnino in Principatum noſtrum Haſſiacum translaturam, & ita vtrimque non exigua ſane pericula & ditionum noſtrarum deuaſtationes metuendæ ſient, eapropter, quum & Dilectioni Veſtræ ipſi, & miſeris noſtris vtrimque ſubditis, ex præuentione iſta plurimum interſit, intermittere non poſſumus nec volumus, quin Dil. Veſtram tamquam Haſſiæ Principem ſanguine

nobis

Anno 1621. nobis iunctum Gentilem, fratremque hæreditarium, huius rei certiorem redderemus, eumdemque rogaremus, vt, quemadmodum id præstare facile poterit, Ducis istius Brunsuicensis Dilect. peramice, & simul serio, admoneat, vt ex superiori hocce Rhenano Circulo absque vlla mora recedere ne grauetur, vt ita vtrimque Principatibus nostris imminentia pericula mature auertantur, &c.

POSTSCRIPTVM.

INlustrissime Princeps, peramice Gentilis, frater, atque Compater, &c. Si Dilect. Vestra episcopum Halberstad. eo disponere posset, vt illico sese ex hisce terris alio reciperet, idque nobis quamprimum significaretur, tum & nos nullum non moueremus lapidem, vt similiter dictæ istæ militareis copiæ sese alia in loca conuerterent, antequam limitibus nostris adpropinquarent, vt hoc modo vtrimque subditis nostris parceretur.

ALIVD POSTSCRIPTVM.

Inlustrissime Princeps, &c. Postquam, turbulento potissimum hocce rerum omnium statu, quodque, eadem de caussa, Circuli

culi Constitutiones comprehendi nequeant, necessario cum vicinis Correspondentiam, militarium copiarum transitiones & diuersiones concernentem, alere necessum habuerimus, & eo ipso nihil aliud fecerimus, quam quod nobis ipsa naturalia & communia iura constitutionesque Imperij permittant, atque ita coacti neutiquam speremus, quemquam etiam, multo minus Ducis Christiani Dilect. cum qua nihil inimicitiarum nobis intercedit, nobis nostrisque damnum illaturam: Iccirco, si forsitan, cōtra nostrā fiduciam, hostiliter impetamur, Dilect. Vestr. peramice rogamus, vt, ratione hæreditariæ fraternitatis; pactorumque hæreditariorum, obtinentem nostrum Principatum, ditiones atque subditos pro virili defendere, atque ad protectionem istam, neque fortunis, neque etiam proprio suo sanguini parcere dignetur. Vice versa Dilectioni Vestræ itidem peramice pollicemur si quoque & illa, contra sacram prophanamque pacem, forsitan iniuriose, & absque data caussa, impetatur, nos, tamquam fratrem hæreditarium, tum quoque simili ope & protectione Dilectioni Vestræ neutiquam defuturos esse, eiusdem responsionem cum harum latore auide præstolantes, &c.

Anno 1621.

Anno 1621.

Mauriti Hassiæ Lãdgraui ad dominũ Hessorum Principem Lodoicum littera responsoria.

Ad hanc Inlustrissimi Domini Landgraui Lodoici epistolam, Hessorum Princeps Dominus Mauritius sequentem in modum respondit: S. P. & officia nostra paratissima, &c. Inlustrissime Princeps, peramice Gentilis, frater, atque compater, Dilectio. Vestræ sub dato Darmbstadij vigesimo sexto Nouembris, ad nos exaratas litteras, hodierno die Solis circa 7. horam matutinam accepimus, & tam ex ipsis litteris, quam aliis iisdem insertis Postscriptis, tantum sane percepimus, quod non solummodo Dilect. Vestra nos admoneat, vt nimirum Reuerendissimi Inlustrissimique Principis ac Domini, Domini Christiani, Episcopi Halberstadiensis, Ducis Brunsvvicensis ac Luneburgensis militareis copias ad retrogressum ad: & exhortemur, verum etiam grauissimas minas nobis intentet, id ni faceremus, quod tum sedes belli necessario in nostras vestræque Dilectio. ditiones transferatur, & vniuersalis prouinciarum pernicies metuenda siet: Item quod eumdem Reuerendissimum Dominum Episcopum à finibus nostris bene arcere, atque adeo hac ratione vniuersali isti metuendo periculo in tempore præuenire possimus. Verum enimuero Dilecti. Vestra nunc nostram tam ad Vestram, quam Reuerendissimi Domini Electoris Moguntini Dilectionem, sub

sub dato Marpurgi 20. Nouembris, exaratam epistolam responsoriam sibi adhuc probe reuocabit in memoriam, atque procul omni dubio ex eadem intellexit, quod illæ ipsæ, quas nunc sentimus, militareis copiæ non dumtaxat nomine Bohemiæ Regis & Electoris Palatini; verum etiam simul ad sequenda Potentissimorum Dominorum Confœderatarum Prouinciarum Belgicarum Ordinum stipendia conscriptæ atque introductæ fuerint, nobisque neutiquam licuerit, vt vel easdem detineremus, vel, vti sonant Dilect. Vestræ formalia, cæderemus, easdemque iterum retrocedere armata manu cogeremus; atque ita hoc modo earumdem præpotentes Dominos Principales contra nos irritaremus; & ex amicis hostes faceremus, quemadmodum etiam aduersus Cæsaream Maiest. Dominum nostrum clementissimum hactenus nihil vmquam, quod in Sacratissimæ Maj. ipsius damnum præiudiciumue vergeret, moliti sumus. Similiter & à fide dignis accepimus Dilectionem Vestram ipsam toties nunc dictis DOMINI Episcopi & Ducis Brunsvvicensis militaribus copiis per ditiones suas transitus atque hospitia concessisse, &, quemadmodum itidem hesterna luce certiores redditi fuimus; easdem per dominia vestra in aliena vicinorum Anno 1621.

Anno 1621. dominorum territoria nunc fuiſſe deductas. Quo autem à digreſſu iſto ſeſe contulerint, id nondum ſcire nobis licuit, quum Dux & epiſcopus ille, tamquam Princeps manu, non calamo promptus & inſtructus, eius rei gratia ne tantillum quidem ad nos perſcripſerit. Confidimus itaque Dilect. Veſtram nos excuſatos habituram, cumprimis quod hac in cauſſa iſti Domino Epiſcopo nullas leges præſcribere poſſimus. Nouit præterea Veſtra Dilect. quod nos ambo Haſſiacæ domus principes, laudabili, nunc nimis preſſo, vehementerque coanguſtato Palatino Electoratui, quemadmodum & multis aliis S. R. Imperij Septemuiris & Principibus, quo ad feudalia, peculiari ſacramento feudali obligati, & nuperrimo tempore in auxilium vocati fuerimus, quodque Dilect. Veſtra ipſa Palatina feuda poſſideat. Quemadmodum igitur hactenus, vti paulo ante diximus, in priuata iſta cauſſa Bohemica contra Cæſaream ſuam Majeſt. Dominum noſtrum clementiſſimum ne minimum quidem moliti, ſed, viceuerſa, iuxta Sacr. Roman. Imperij conſtitutiones & requiſita, ad præſtanda humillima obſequioſiſſimaque officia ſemper prompti paratique reperti ſumus, ita & heic quidem contra præſtitum Palatino Electoratui iuramentum non libenter impingeremus, & in odium iſtinc

quoque

quoque incurreremus, indubia ſpe freti, Di- Anno
lect. Veſtram (quemadmodum in poſtſcri- 1621.
pto ſuo pollicetur) nobis, ſi forſitan immerenter à quoquam hoſtiliter inuadamur, iuxta pacta noſtra hæreditaria, coniunctiones & fraternitates, nobis tum & in caſibus iſtiuſmodi inſperatis, maſcule adfuturam, certa infallibilique ſpe fretam, & nos quoque eamdem in caſu ſimili (modo ad clandeſtina, Sacr. Roman. Imperij conſtitutionibus contraria fœdera, cum Catholicis, quorum, prohdolor, intentio erga Euangelicos nunc ſatis ſuperque liquet, ineunda, anſam occaſionemque nullam præbeat) neutiquam deſerturos, ſed multo potius eadem iſta noſtra pacta hæreditaria, coniunctiones & fraternitates probe in memoriam nobis reuocaturos, atque tamdem Dilect. Veſtræ monitis morem geſturos eſſe, &c. Ex Zigenheynio noſtro 2. Decembr. A. C. M. DC. XXI.

POSTSCRIPTVM.

Inluſtriſſime Princeps, peramice Gentilis, frater atque compater: Dilect. Veſtram celare nolumus, quam callide videlicet nupertrimo tempore, 21. die Nouembris ſcilicet, Hiſpani nobiſcum egerint, dum, in inferiori noſtro Comitatu Cattimelibocorũ,

 aliquot

Anno 1621. aliquot centeni partim Valones, partim Germani, Veſalæ ſuperioris, patrocinio atque protectione noſtro gaudentis vrbis, conuenerunt, &, à ciue quodam iſtius loci noctu ſummoque ſilentio ad propugnaculum poſt Rheinfelſam noſtram à nobis extructum deducti, modo dictum propugnaculum occuparunt, eamdem noſtram domum aliquot tormentorum diſploſionibus infeſtarunt, & per Tamtur quemdam, nomine Regis Hiſpaniarum, Cæſareæque Maieſtatis, DOMINI noſtri clementiſſimi, ſibi dedi poſtularunt: immo plura hoſtiliter attentaſſent, ni noſtri loci illius vigilum præfectus & Capitaneus, dedito prius Hiſpanis graſſatoribus & oppugnatoribus breui ſolidoque reſponſo, cum ſuis hoſtes, abſque vllo noſtrorum damno vel cæde, ex propugnaculo iſto iterum abegiſſent, non paucos ex illis trucidaſſent, quoſdam vero, qui poſtmodum omnem rei geſtę ſeriem ordine detexerunt, cœpiſſent. Quum itaque inopinatum inſperatumque iſtum Hiſpanorum hoſtilem impetum, deditioniſque poſtulationem, non immerito ægre feramus, præſertim cum ad eamdem ne mimimam quidem anſam occaſionemque illis præbuerimus, atque, rebus ita conſtitutis, Dilectio. Veſtræ opem, adſiſtentiam & defenſionem

fensionem merito implorare necessum habeamus Iccirco eandem peramice rogamus, vt proxima quaque occasione, quum summum in mora periculum, scripto comprehensam suam resolutionem nobis tramittat, quid nimirum boni de oppressis nostris subditis atque dominiis nobis polliceri possimus. Operæ pretium autem fore arbitramur, si celerem quemdam conuentum nostrorum intimorum consiliariorum in finibus nostris, aut, nisi Dilectio. Vestræ aduersetur, Schreksbachij, vel VVillingshusij, lucrandi temporis gratia, ad septimum huius mensis Stylo veteri aut quamprimum id Dilectio. Vestræ libuerit, instituamus, ad quem duos nobiles & simul cum illis doctum Consiliarium ablegabimus: qua in re re, ad meliorem nostram informationem, resolutionis vestræ declarationem quamprimum expectamus. Datum vt in litteris. Anno 1621.

Cæsareanorum in Palatinatu inferiori felix successus.

Paullo ante, & quidem trigesima die nuperrime elapsi mensis Nouembris, D. CC. milites, vna cum duobus tormentis vnaque Petarda, ex Ydenheimio Grumbachum versus sese contulerunt, inibique Mansfeldicum quemdam Capitaneum, locum istum defendere conantem, recedere coegerunt, atque CXXXVI. Mansfeldianis ablatos equos secum in arcẽ deduxerunt,

Anno 1621. tunt. Viceversa Mansfeldiani cis Rhenum Deidesheimium, Kyrvveilerium, Lauterburgum, aliaque vicina loca nemine resisten te, occuparunt, ibidemque, cumprimis autem Deidesheimij, opimam sane prædam inuene unt. Quo melius autem hisce Mãsfeldianorum conatibus iretur obuiam, Cæsareanus exercitus, sub Don Cordouæ imperio, ad Steinam Rhenum traiecit, & Generalis Bauaricus Tyllius Moschbacum, Eberbacũ, Hirtzhornam, Neccaro-Elzam, Neccaro-Solmsã, Neccaro-Steinacũ, Schönauiam, VVimersbachum, &c. occupauit, illaque omnia præsidiis muniuit. Ponte etiam ad Neccaro-husium interea absoluto, idem Tyllius, 4. huius mensis Decembris die, cum 11. equitum turmis, & aliquot peditum M. arcem Kiselochium, quod occupatum Mansfeldius cum præsidio firmarat, recuperare, & dein cum copiis suis, traiecto Rheno, Cordouæ viribus sese coniungere conatus est: de quo, eiusdemque effectu suo loco plura dicturi sumus.

Regis Galliarum ad Parlamentum Normanniæ littera.

Hæc dum in Palatinatu agerentur, Rex Occidentalis Franciæ, sequentem, occupationem ciuitatis Monheurensis concernentem, Epistolam ad Parlamentum Normanniæ ablegauit: Perfideles nostri Dilecti. Deus Iustus & Omnipotens proposito nostro benedixit, aç nos ab hostibus nostris

nostris clementissime liberauit, qui ex mero metu sese nostræ clementiæ dediderunt. Quocirca ex singulari nostra lenitate & misericordia iisdem nostris hostibus vlteriorem vitæ fruitionem clementissime concessimus, Ciuitatis Monheurensis spolia vero, fœminis & filiabus iunioribus prius ex vrbe intactis dimissis, militibus permisimus. Hic autem locus, tam natura, quam arte industriaque humana sat munitus, tantæ erat importantiæ, vt vnus ex potentissimis totius Aquitaniæ locis fuerit habitus: imo tali in loco situs est, vt non dumtaxat Tholosæ, Burdigalæ, & 20. miliarium circumiacentibus locis grauissima damna inferre, verum etiam magnam spem, ad rebellionem suam promouendam, excitare potuerit. Huius boni noui vero vos & præcipuos nostros officiales ideo certiores reddere voluimus, vt boni vna nobiscum exultarent, mali, viceuersa, spe sua, quam in loci istius commoditatem & inopportunitatem temporis collocauerant, priuarentur. Quocirca intra 14. dierum spacium eandem vi occupauimus, totique obsidioni præsentes interfuimus, exercituique imperauimus. In qua expeditione etiam fideliter & fortiter præcipui castrorum officiales nobis operam suam locarunt, qua in re fidelissima ipsorum officia testamur, firma spe freti, vos quoque in debito nostro obsequio

Anno 1621.

Anno 1621. quio perseueraturos, & id quod ad pacem patriæ nostræque auctoritatis conseruationem spectare videbitur, vna nobiscum recuperaturos esse. Ex castris Monheurensibus 12. Decemb. A. C. M. DC. XXI.

Boissius Gubernator Monheurensis crudelissime necatur.

Vlterior autem munitissimi istius expugnati loci confirmatio & nefanda Gubernatoris cædes, ex alterius cuiusdam ex Gallia in Germaniam allatis litteris, quas heic subiungimus, videre est; Quamuis, (verba litterarum formalia) Regia sua Maiestas inopportuno admodum hocce tempore munitissimam vrbem & arcem Monheuriam, inter Burdegalam & Tholosam sitam, grauissima obsidione cinxerit, nihilominus tamen eandem 14. dierum spacio vi occupauit. Caluiniani autem paulo ante Gubernatorem suum, Dominum Boissium, quod Regiæ suæ Maiest. sese humillime submisisset, & debitum obsequium stipulata manu præstitisset, consensu & voluntate propriorum suorum liberorum, per clanculum ad id conductos sicarios necarunt: quam nefandam cædem etiam Regia sua Maiest. non immerito vindicauit. Fœminis siquidem, filiabus iunioribus, & innocentibus liberis, cædis huius minime cõsciis, prius ex vrbe dimissis, vrbs Regiis militibus prædæ concessa est. Postea milites, qui ciuitati militauerant, & Regiæ clementiæ sese submiserant, inermes, albos bacillos

cillos

Anno 1621.

cillos in manibus gestantes, dimissi, ij vero, qui antehac Cleraci & Bergeraci cõtra Regiã suam Maiest. arma sumpserãt in crucem acti sunt: atq; hoc modo Regia sua Maiest. intra 3. mensium spacium 72. arces & munitissimas arces iterum in suam potestatem redegit.

Montalbani arctissima obsidio.

Montalbanum vero multis castellis & vallo cinctam, atque præterea 8. militum millia arctissime cinctum est, quibus Dux Engolismensis, & Marescallus Geranus summo cum imperio præsunt, qui etiam omnem Hugenotis destinatum commeatũ interceperunt. Ciues & milites præterea, Montalbani excitato tumultu, ad arma inter se inuicem conclamarunt,, Gubernatoris Montalbanensis, Domini de la Force, liberorumque suorum depictæ effigies Parlamentum Burdegalense publice in crucem siue patibulum eleuari iussit.

Hungari à Betlehemo Transylvano deficiũt.

Circa Mensis Decembris initium Cæs. S. Maiest. certior reddita Hungaros, à Gabriele Betlehemo (eo quod Turco, quam Prouinciæ, fidelior fuisset, & eum in finem Bosniagum & Alliagum necari curasset) omnino defecisse. Inter alia enim eundẽ dixisse ferũt, sese alias arces limitaneas nõ secus, q̃ Vaciam ipsam, Turcorum Imperatori tradere posse, hac grauissima interminatione addita, si ab ipso deficerent, tum sese Turcos & Tartaros

in ipso-

Anno 1621. in ipſorum prouinciam introducturum eſſe, quo fine etiam Budæ 30. Strigonij 20. Erlauiæ & Caniſæ vero aliquot Turcorum millia hybernare debuerunt.

Dom. Eggenbergius Ligorni Marchio creatus. Poſtquam Romano-Cæſareæ, Hungariæ itidem & Bohemiæ Regiæ Maieſtatis ſummus aulæ Magiſter, Dominus Eggenbergius ſponſalia inter Cæſaream ſuam Maieſt. & Cleonoram Mantuani Ducis ſororem feliciter procuraſſet, eapropter à modo dicto Duce titulo Marchionis Ligorni in Monferato inſignitus, eidemq; in annuos reditus 6. coronatorum millia adtributa ſunt.

Caluiniani Paſtores ex Auſtria & Bohemia per edictum relegati in perpetuum. Interea, nomine Cæſareæ ſuæ Maieſtatis, eodem hocce menſe, Inluſtriſſimus Princeps Lichtenſteinius Bohemo-Caluinianos Paſtores, per ſubſequens edictum, tam ex Auſtria quam vniuerſo Bohemiæ Regno in perpetuum proſcripſit:

DEI GRATIA Carolus Princeps & Regens domus Lichtenſteinicæ, Dux Sileſiæ, Troppauiæ, Romano-Cæſareæ ſuæ Maieſt. intimus Conſiliarius, Cubicularius, & plenarius conſtitutus Commiſſarius, &c. Notum facimus, tenore præſentium harum litterarum, omnibus & ſingulis: Etiamſi in Dei Ter Opt. Max. præcepto tam priſcis Cæſareo-Regiis Prouincialibuſque Conſtitutionibus cautum proſpectumque ſiet, quod nemo contra legitimum ſuum Magiſtratum ſeditio-

ditionem excitare, neque iſtiuſmodi moti- Anno 1621.
bus ſeſe implicare, multo-minus vero Paſtores, durantibus adhuc hodiernis, proh dolor, chriſtianæ Religionis controuerſiis, ſub quocunque etiam prætextu id fieri poſſit, plebem ad tumultus concitare debeant, idque ſub grauiſſimis in diuinis humaniſque iſtis legibus tranſgreſſoribus conſtitutis pœnis: nihilominus tamen ipſa Meridiana luce clarius & notorium eſt, quatenus videlicet, ſub nupero motu, aliquot Bohemici Paſtores primam originem ſiue initium venenatæ iſtius zizaniæ ſeditionis ſparſerint, & diſſeminauerint, dum ipſorum non pauci, A.C. M.DC.XVIII. die dominica, ſeptimanæ à cruce vel potius prece ſic dictæ, in publicis templorum ſuggeſtibus maliuolum, ſeditioſum, multiſq; mendaciis refertum ſcriptum (per quod plebi diuerſimodæ inconuenientiæ malæque informationes inculcatæ, & hoc modo ſubditi contra ſuum à DEO Ter Opt. Max. ipſis datum legitimum Magiſtratum, tum quidem temporis contra proxime mortuam in Deo nunc tranquille quieſcentem Cæſaream Maieſtatem, feliciſſimæ recordationis, poſtmodum etiam aduerſus hodiernum feliciter regnantem Sereniſſimum, Potentiſſimum, Inuictiſſimumque Principem & Dominũ, Dominum FERDINANDVM II. Electum Romanorum Imperatorem, Hungariæ,

Anno 1621. gariæ, Bohemiæque Regem, &c. Dominum nostrum clementissimum, quemadmodum etiam contra Cæsareæ suæ Maiestatis constitutos Vicarios, supremos Prouinciales, Officiales atque Consiliarios, audacter satis instigati, à debito, obsequioso, hæreditarioque ipsorum iuramento abalienati, &c, viceuersa, ad inflatam periculosamq; expeditionem bellicam & seditionem male informati & incitati fuerunt) publicarunt & sparserunt, quidam vero, etiam post tum temporis inchoatam seditionem, in Collegio Carolino audacter satis concionantes confœderatos ad constantiam, & in cæpto suo proposito, perseuerantiam adhortati sunt. Quo facto subsequente die Mercurij crudelissima & truculentissima, apud christianos & nobiles viros inaudita hactenus & barbarica prorsus deturbatio ex Cancellariæ arcis fenestris quorundam Cæsareæ suæ Maiest. Vicariorum & Consiliariorum sequuta, & cæteri Officiales, Prouinciales quoque, Cæsareo-Regiique Præfecti tum temporis vel Arresto detenti, vel omnino ab officiis suis remoti fuerunt. Imo paulo antedicti Caluiniano-Bohemici Pastores in peculiaribus aliquot Pragensium Ciuitatum templis, aliisque quamplurimis Regni Bohemiæ locis, certis diei horis, post datum campanarum signum, calumniosas scelestasque quasdam preculas contra

contra Cæsaream suam Maiestatem, eiusdemque fideles fœderatos, populo prælegerunt, typis publicis diuolgarunt, vendiderunt, aliaque istiusmodi enormia & inexcusabilia facta perpetrarunt, donec tandem ipsi rebelles, eorundem Directores & Coryphæi, adtractione magnæ, vti vocabant, communionis, per nullius momenti, periuram, perfidamque electionem aliud caput, nouumque putatitiumque Regem populo præponere minime erubuerunt. Quod sane impium omnibusque Prouinciis & Regnis perniciosissimum factum pastores isti, quantum quidem in ipsis fuit, summo studio & industria promouerunt, violenter intrusum, hactenus vero publico S. Rom. Imperij banno proscriptum Fredericum Comitem Palatinum, pro Rege suo coronare atque omnia exequi non destiterunt, quæ modo ad confirmationem, ampliationem, & augmentationem detestabilis istius confœderationis, vel potius cõiurationis, (in quam ferme vniuersus terrarum orbis christianus miserum in modum implicatus, & barbaricum christiani nominis hostis hæreditarij iugum non dumtaxat in medium & cor quasi huius regni, verum etiam in ipsum sacrũ Romanũ Imperium Germanicæ Nationis, atque adeo totam christianitatem, introductum fuisset) tum temporis facere videbantur.

Annõ 1621.

Anno 1621.

bantur. Vt ſicco iam pede heic prætereatur, quod plurimi ex commemoratis illis irrequietis capitibus in hanc ipſam vſque horam non ceſſent, &, quibuſcunque in locis modo poſſunt, partim publicis, partim priuatis in conuerſationibus, homines denuo confundere, à Cæſarea ſua Maieſt. abalienare, & nouas lites contentioneſque ſerere non erubeſcant. Cum igitur ad decentem neceſſariamque conſeruationem paulo ante dictarum diuinarum, ſaluberrimarumque Cæſareo-Regiarum Conſtitutionum, vniuerſalis pacis, quietis, atque tranquillitatis, poſt ſufficientem demonſtratam informationem omnium iſtarum ſeditioſe geſtarum rerum, atque Cæſareæ S. Maieſt. ad id deputatorum Commiſſariorum maturam hac de re habitam conſultationem, tandem concluſum atque decretum ſiet, vt toties nunc dictæ ſeditioſæ perſonæ, & ipſi ſeditionis primi motores, præſertim vero ij, qui (vti ſupra demonſtratum) A.C. M.DC.XVIII. ſeditioſum proclama & figmentum ſcommaticum publicarunt, diſtraxerunt, & illud plebi propoſuerunt, ſupra dictum etiam nullius valoris Actum coronationis ipſi peregerunt, tam per ſuam, quam ſociorum ſuorum præſentiam, ad magnam miſeræ plebeculæ ſeductionem, confirmarunt, *ſemel pro ſemper* (quamuis ſane ſeueriorem pœnam promeriti fuiſſent) ex Cæſa-

Cæſareæ ſuæ Maieſt. Regno Bohemiæ; ei- Anno 1621.
dem incorporatis, tam ex aliis Cæſareæ ſuæ Maieſt. laudatiſſimæque domus Auſtriacæ prouinciis atque territoriis, relegentur, excludantur, & exterminentur.

Relegamus, excludimus, & exterminamus igitur, tenore acceptæ Cæſareo-Regiæ poteſtatis, omneis ſupradictas perſonas, ſuæ Cæſ. Maieſt. reos, contemptores, infideles & hoſtes, ac tanquam communis pacis vniuerſaliſq; quietis perturbatores, nemine excepto, ſeuere mandantes & præcipientes, vt videlicet, intra triduum adfixarum noſtrarum patentium litterarum, ſeſe ex Pragenſium ciuitatibus, & ſubſequenter intra octiduum ex vniuerſo Bohemiæ Regno, tam eidem incorporatis, quam aliis etiam Cæſareæ ſuæ Maieſt. & laudatiſſimæ domus Auſtriacæ Prouinciis atque territoriis ſecedant, atque in iſtis oris ad dies vitæ nunquam compareant. Ex mera tamen gratia atque clementia ipſis conceſſum eſt vt mobilia ſua bona ſecum auferant, immobilia vero, per alium plenipotentiam habentem intra 3. menſium ſpacium diſtrahant. Sin vero vnus, vel alter, poſt elapſum præfixi temporis terminum, heic Pragæ aliiſque in locis Regni Bohemiæ, eidem incorporatarum, aliarumque Cæſareæ ſuæ Maieſtatis laudatiſſimæque domus Auſtriacæ Prouinciarum atque

Anno 1621. territoriorum compræhensus, atque publicationis supradicti famosi libelli, annexarum induciarum & defectonis à Cæsarea sua Maiest. aliarumque istiusmodi transgressionum & delictorum conuictus fuerit, is vel illi tum, absque vllius hominis respectu, illico, aliis in exemplum, corpore & vita pœnas luent promeritas. Denique relegatos, exclusos, excommunicatos exterminatosque istos homines nemo in toties nũc commemoratis Cæsareæ suæ Maiest. laudatissimæque domus Austriacæ hæreditariis Regnis & prouinciis, scienter vel fortuito, supra præfixum temporis terminum hospitio excipiat, iisdemque neque cibum neque potum porrigat, idque sub pœna Cæsareæ inclementiæ, & dictarum in litteris istis patentibus grauissimarum interminationum. Et hæc est Cæs. suæ Maiest. voluntas, & definitiua sententia, cuius rationem habere eamdemque exequi nosmet, respectu præstiti nostri iuramenti, obligatos depræhendimus. Omneis quoq; sese iuxta illam conforment, & sibiipsis à præmonstrato intentatoque damno præcaueant. Dabantur Pragæ 13. Decemb. A. C. M. DC. XXI.

Glatzensis Comitatus Electorali Saxonico exercitui

Postquam autem interea Electorales Saxonici belli Duces, vtpote Carolus Goldsteinius, & Crato Boderhusius cum equitum peditumque aliquot cohortibus sese in Comitatum

mitatum Glatzensem contulissent, eapropter, eodem hocce mense, Mittelsteinichij equitum turmam inopinato obruerunt, equitum tribunum, Locumtenẽtem, signiferum, omneisque alios ad modo dictam istam equitum turmam spectãtes officialeis cæperunt, & Electorali ipsius Cels. penes duo vexilla tramiserunt. Quo facto Neurodam versus perrexerunt, in qua 200. à Prouincia conscripti pedites, & 36. equites, qui paulo ante Glatzensium stipendia sequuti fuerant, prima vice quidẽ fortiter sese defenderunt; nihilominus tamen paulo post sese hac conditione, vt nimirum sub transactione Silesiorum compræhenderentur, dediderunt: atq; ita (postquam tam equi: quam pedites prius intra sex menses contra Cæsar. suam Maiest. & Serenissimum Dominum Electorem Saxoniæ sese non militaturos promisissent) amissis sclopetis & superiori armatura, exinde discesserunt. Interea vero Victores minime cessarunt, sed vlterius profecti Habelsuerdam & Laudeccam pari deditionis modo occuparunt. Quamuis etiam Cæsareæ Maiest. belli Dux, Gaspar Neuhusius, qui hactenus Braunauiæ sese cum suis continuerat, ante Wünschelbergam, quam fortiter & mascule oppugnauerat, signiferum, & tres ex suis amisisset, nihilominus tamen obsessi postremo Electorali suæ Celsit. Du-

Anno 1621. *facta deditio.*

Anno 1621.

cibus deditionem facere necessum habuerunt, adeo vt nunc vniuersa Prouincia, vrbe & arce Glatzensi dumtaxat exceptis, Electorali Saxonico patrocinio & protectioni sese submiserit.

Res, inter Christianū Brunsuicensem, & Comitem Anholtinum, gesta.

Cum etiam, eodem hocce mense Decembri adhuc durante, Christianus Dux Brunsuicensis atque Episcopus Halberstadensis, vna cum Comite à Styrumb, restantibus suis ex clade Brunsuicensi copiis militaribus, in Westphalia & Hassia, commemorato modo oberrasset, & in vallem Buseccianam vsque peruenisset, inibique, Rôteæ aliisque vicinis in locis hospitia sibi suisque designasset, Cæsareanæ interea militareis copiæ, sub imperio Comitis Anholtini, ipsi obuiam processerunt. Quo intellecto Christianus per sequentem totum diem in acie constitit hostiumque suorum aduentum præstolatus est: sub quorum aduentu tamen vna cum suis Amoeneburgum versus se recepit: quo circa Cæsareani in dicta ista valle Buseccensi Brunsuicensium hospitia illico occuparunt, in quo exploratorem, ab aduersa parte illic missum, cæperunt, eundemque, decem equitum comitatu, Giessam captiuum deduxerunt. Etiamsi vero Anholtinus, qui tum temporis omneis suas vireis nondum coniunxerat, eaque de causa viribus Duci impar esset, nihilominus tamen cum equitibus suis

ſuis Brunſuicenſibus adeo adpropinquauit vt intra vnius horæ ſpacium inter ſe inuicem manus conſerere potuerint. Quo facto Chriſtianus omnibus viribus Anholtinum excipere & retro pellere conatus eſt: quocirca Anholtinus, occupata, ſui ſuorumque tutelæ cauſa, ſylua, ſuppetias itidem præſtolatus eſt, quas tamen quidam ex ſclopetariis ſuis militibus minime expectantes, ſed Brunſuicenſes quoſdam, in ſylua iſta oberrantes, adeo fortiter aggreſſi ſunt, vt in conflictu iſto (mox hac, mox altera parte recentes ſuppetias accipiente) non pauci Brunſuicenſium, & ex illis præcipui aliquot officiales, Cæſareanorum vero non amplius quam ſex, ceciderint, ipſique adeo Duci equus ſub ſuo corpore ſclopeti ictu necatus fuerit. Brunſuicenſes itaque, Cæſareanorum impetum non vlterius ferentes, ſed maiorem ſuorum iacturam, ex repetito congreſſu, metuentes, rellicto iterum Amoeneburgo, vlterius progreſſi, omnibus illinc circumiacentes pagos, quemadmodum etiam Neapolim, incendio deuaſtarunt. Eapropter Mauritius Haſſiæ Landgrauius, miſſis ad Comitem Anholtinum Legatis, cum eodem Comite tranſigere conatus, ſolemniter proteſtatus eſt ne dominiis ſubditiſque ſuis iniuria inferretur. Ad quæ Anholtinus: ſeſe hac de re nulla habere mandata.

Anno 1621.

Anno 1621. data. Et licet idem Legatus trium duntaxat dierum inducias petiisset, nihilominus tamen tum temporis ab Anholtino impetrare nihil potuit: qui, accepto eodem tempore succursu Herbipolensi & aliquot tormentis recta sese Amoeneburgum contulit, indubia spe fretus, Ducem forsitan sese iterum exhibiturum esse. Nemine autem istis in locis comparente, Anholtinus, misso ad Amoeneburgenses tubicine, deditionem sibi fieri postulauit: pertinaci vero illinc responso accepto, ad faciundum impetum sese illico adcinxit: eapropter Brunsuicenses, cum viris sibi rem esse animaduertentes, relicto oppidulo & arce, vlterius progressi sunt.

Lodoici Hessorum Principis, ad Mauritium Landgrauiū litera.

Hæc dum inter Christianum Ducem Brunsuicensem, ex vna, & Comitem Anholtinum altera parte agerentur: Inlustrissimi Celsissimique Principes ac Domini Hessorum Principes, Dominus LODOICVS, & Dominus MAVRITIVS, Comites Cattimelibocorum, Deciorum, Zigenhainensium, & Niddensium, interea, rebus ita constitutis, sequentes literas inter se inuicem iterum commutarunt: quorum Inlustrissimus Dominus Lodoicus, ad Mauritium hoc fecit initium:

S. P. & peramica nostra officia: Inlustrissime Princeps, peramice frater, atque compater, &c.

Anno 1621.

ter,&c. Dil. V. epiſtolam reſponſoriam, vna cum poſtſcripto, Halberſtadienſem expeditionem bellicam in hunc ſuperiorem Rhenanum circulum, concernentem, accepimus, eiuſdemque contenta bene intelleximus. Quod igitur Dilect. Veſtra adhortatorias rogatoriaſq; noſtras litteras pro comminatoriis æſtumet, in hoc ſane noſmet ad literam earundem modo dictarum noſtrarum literarum referimus, quæ nihil aliud commonſtrat, quam ſollicitam noſtram curam, pro vniuerſa noſtra Principali domo Haſſiaca, ad eandemque pertinentibus ſubditis atque territoriis, ſuſceptam, quodque belli ſedes, periculoſo admodum hocce rerum omnium ſtatu, non commodius auerti potuerit, quam ſi Chriſtiani Brunſuicenſis Ducis Dilectio eo induci potuiſſet, vt videlicet ſeſe iterum ex principatus noſtri limitibus, eiuſdemque vicinis locis, cum aduentantibus ſuis militaribus copiis alias in prouincias contuliſſet.

Quæ autem Dilectionis ſuæ intentio hocce propoſito fuerit, de ea quidem nulla nobis facta communicatio, quam cuius Dilect. V.ra nunc nos certiorem facit, quam tamen ſuo loco iam rellinquimus. Nec vnquam ſane alienis rebus, peregrinoque bello, noſmet immiſcere voluimus, verum rebus noſtris inuigilare neceſſum habuimus, præſertim

Anno 1621. cum sua Dilect. nobis insciis, non solummodo ad nostros limites sese contulisset, verum etiam eiusdem equites præfectos & subditos nostros quosdam, absque vlla data causa, immerenter sclopetis suis transfixissent, gladio percussissent, eosdemque bonis fortunisque suis in ipso etiam nostro principatu exuissent. Cum itaque Vestra Dilect. tam proprio suo corpore, quam omnibus suis fortunis, subditisque, contra insperatos istiusmodi aduersos casus nobis succurrere & opem præstare teneatur: eapropter Dilect. Vestram peramice admonuimus, (præsertim quum fama velox nunciasset, Dilect. V.ram hoc in itinere Ducem Christianum in persona visitasse, atque bonam cum ipso correspondentiam aluisse) vt videlicet eundem Ducem & peramice & semel serio adhortaretur, vt ex superioris huius Rhenani circuli limitibus recedere dignaretur. Interim autem verbum *cædere* nequaquam nobis in memoriam reuocare possumus, quippe cum in litterarum istarum copia, quæ etiamnum in Cancellaria nostra adseruatur, talis in iisdem litteris nostris vsurpata phrasis minime reperiatur: etiamnum hodie tamen statuimus, si Dilect. V.ra, tum temporis, belli sedem ex finibus nostris alio transferre voluisset, eandem tum apud Ducis Dilect. præmonstrato isto modo bene aliquid præstare potuis-

potuiſſe. Similiter & Dilect. Veſtra in hoc quoque male informata eſt, quaſi eiuſdem Ducis Dilect. hoſpitia & tranſitus in obtinente noſtro Principatu conceſſiſſemus, quum tamen illud à nobis numquam petitum fuerit, vt iam taceamus quod illud ipſum contra S. Rom. Imperij Conſtitutiones permittere debuiſſemus. Anno 1621.

Equidem triſtis perturbatuſque admodum Electoratus Palatini hodiernus ſtatus nobis ex animo dolet, indubia infallibilique ſpe freti, ſi noſtri Gentilis, Comitis Palatini, Dilectio fidele ſalutareque adeo noſtrum conſilium non ita omnino repudiaſſet, longe melius tum res ſeſe, tam in ipſo Palatinatu, quam vicinis hiſce Prouinciis, habituras fuiſſe, quarum tamen omnium contrarium euentum iam, proh dolor, experiri neceſſum habemus. Præterea nos, & Veſtra Dilect. non dumtaxat Electoratui Palatino, verum ante omnia Romano - Cæſareæ Maieſt. Domino noſtro clementiſſimo, Electori Moguntino, Epiſcopo Herbipolenſi, & Abbati Fuldenſi fidelitate feudali obligati ſumus, quocirca etiam Dilect. Veſtræ & nobis incumbit, vt omnia rite decenterque diſtinguamus, & debitum obſequium, decenti iure, nulli obliuioni tradamus.

Ad peramicam noſtram petitionem quod

Anno 1621. attinet, ne videlicet Vestra Dilect. nos, tamquam hæreditarium fratrem, in omnibus casibus innocuis, qualis hic est, reali adsistentia deserere velit, in eo sane, ex subsequuta ista ambigua declaratione, nihil certi nobis polliceri possumus, quamuis contra pacem prouincialem & S. Rom. Imperij constitutiones nunc periclitemur, quod quidem Dilections Vestræ excusationi nunc relictum, eidemque toties iuratam obligationem, nobis videlicet ope, auxilio, & consilio succurrendi, denuo inculcatam volumus: qua in re tamen cum quorundam Euangelico-Catholicorum Electorum, Principũ, & Ordinum, contra S.R. Imperij Constitutiones grassantes prouinciis perniciosissimas militarium copiarum diuersiones, longe ante hancce expeditionem Brunsuicensem, tam in omni iure quam eiusdem S.R. Imperij Constitutionibus permissa nostra instituta correspondentia sese ne in minimo quidem tueri vel excusare poterit, quum modo dicta defensionalis Correspondentia vnice ad conseruationem S.Rom. Imperij Constitutionum, vniuscuiusque Principis innocentium ditionum atq; subditorum directa, atq; ea potissimum de caussa non superflua fuerit, quũ Dile. V. non vna dumtaxat vice sese ita resoluisset, quod ipsius Circuli Capitaneatus officio non innitendum fuerit.

Ad

Anno 1621.

Ad Hispanorum contra Reinfelsam, & impone eam extructum propugnaculum, impressionem factam itidem quod attinet, de ea, extra Dilect. Vestræ iam nobis communicatam relationem, & hincinde sparsa vulgaria noua, nihil certi nobis amplius constat: verum omnem rei gestæ seriem ad amussim explorabimus, & dein' nuperæ factæ nostræ resolutioni ita satisfaciemus, quemadmodum illud nostra obligatio & iurata pacta hæreditaria requirere videbuntur. Etiamsi quoque in nostrorum Consiliariorum vtrimque hodierno die ad destinatum locum mittendorum conuentum lubenter consentiremus, nihilominus tamen quum Dilect. Vestræ litteræ nobis primum hesterna luce & tam sero quidem traditæ fuerint, vt Consiliarios nostros illuc ablegare minime potuerimus: iccirco Dile. Vestram nos huius rei gratia excusatos habituram confidimus. Id quod, peramicæ responsionis loco, Dilect. Vestram latere noluimus, &c.

Mauriti Hassia Lãdgraui, ad Lodoici Hessorum Princĩpis epistolã littera responsoria.

Ad hanc Landgrauianam epistolam Inlustrissimus Princeps Mauritius sequentibus hisce respondit: Sal. P. & peramica nostra officia, &cæt. Inlustrissime Princeps, peramice Gentilis, frater, atque Compater, Dilectionis Vestræ litteras, sub dato Darmbstadij septimo die Mensis

Decem-

Anno 1621.

Decembris, primum XI. eiuſdem menſis, & quidem ſero, accepimus, ex iiſdemque Dilectionis Veſtræ mentem (cæteris ſub roſa in litteris iſtis dictis nunc parcimus) probe intelleximus. Nunc autem & nos quoque Dilect. Veſtræ litterarum teſtimonium inuocamus, quæ ſane illa ipſa voluere, & in humeris ſuis, vti aiunt, geſtauere, quæ nobis in iiſdem minantur, licet à Dilect. Veſtra factorum obiectorum minime rei ſimus, nec talia nobis iure poſſint obiici, ſiquidem Ducis Chriſtiani Halberſtadenſis epiſcopi Dilectio tres Sacr. Roman. Imperij circulos, Veſtphalicum, inferiorem Saxonicum, & Electoralem Rhenanum videlicet, iam ante ſecura & minime impedita pertranſierat. Nouit præterea Dilect. Veſtra iamdudum quod apud ſuperioris Rhenani Circuli Ordines, immo apud Dilect. Veſtram ipſam, numquam auditi neque in iſto Circulo confirmati fuerimus, nec paritionem vel adſiſtentiam habere potuerimus, nullus nobis præterea adiunctus adtributus fuerit, & à potioribus Ordinibus reſtantem noſtram quotam intra 32. annorum ſpatium nondum acceperimus. Ex quibus omnibus Dilect. Veſtra ipſa facilime colligere poterit, qua ratione Circuli ſubſidiis auxiliiſque vtamur & quomodo eadem inſtituere debeamus. Ad hæc poſtulatum, quod videlicet Duci

Chriſtia-

Anno 1621.

Christiano persuadendum fuerit, vt cum militaribus suis copiis alio sese conferre debuisset, id in nostra potestate minime situm fuit, nec de ipsius intentione nobis aliud, quam meræ dumtaxat coniecturæ, cognitæ fuere. Quod autem Dilect. Vestram fideliter admonuerimus, ne periculoso isti bello sese forsitan implicaret, in eo sane fecimus quod ipsi æquitati consentaneum, vestris vero subditis atque Dominiis vtile salutareque fuit, nec curamus Dilect. Vestram illud in malam partem accepisse, sed vice versa cogitamus: *Quod de his bene locutura sit posteritas.* Ducem Christianum quoque, inscia insalutataque Dilect. Vestra in eiusdem limites secessisse, de eo nihil prorsus, hoc autem bene nobis cognitum, Dilect. Vestræ subditos ipsos expresse fuisse fassos, quod in mandatis habuerint, vt Ducis exercitui & de hospitiis, & victualibus prospicere atque tamdem iisdem transitum permittere debuerint: quemadmodum etiam de perpetratis Brunsvvicensium militum in Dilect. Vestræ subditis cædibus, aliisque hostilibus attentatis, nihil nobis cognitum perspectumque est, quum sese Dominorum Stadensium Regisque Bohemiæ stipendia sequuturos prætenderint: Postquam enim 17. die Nouembris in Electorale Moguntinum territorium sese contulissent, missos

istos

Anno 1621. istos fecimus & tum temporis circa VValdeccensem motum occupati fuimus, atque etiamnum hodie occupati sumus: eapropter istiusmodi res potius negligere quam curare necessum habuimus. Ad sanctam nostram Dilectioni Vestræ debitam obligationem, quæ in Dilectionis Vestræ litteris tantopere vrgetur, quod attinet, certis illa fundamentis, singularibusque quibusdam conditionibus innititur, nec Dilect. Vestram latet, quantopere nuperrimo tempore eamdem in ambiguo relliquerit, & nosmet ad certas conditiones iterum restrinxerit: nihilominus tamen Dilectioni Vestræ, & quidem cum nostrorum aliorumque Ordinum consilio, præmeditate respondere voluimus: ast, breuiter, nullo modo deprehendimus, quod obligationes nostræ ad præsentem casum nos alligent, in quem sane Dilect. Vestra sese adeo præcipitauit, & peregrinis rebus immiscuit, vt nunc eidem succurrere, & nosmetipsos præcipitando & ruinando non necessariis istis rebus immiscere debeamus.

Ducem Brunsuicensem, quemadmodum Dile. V. sese vulgari fama expertam esse scribit, apud nos fuisse, nullas imus inficias, ille siquidem, tamquam noster Gentilis, & Euangelicæ Relligionis socius, vix 10. equitum comitatu nos Körbachij salutauit, visitauit, atque

atq; postmodum, in electoratum Moguntinum sese cum suis cõferens, nobis forte fortuna in itinere aliquot equitũ turmis obuius factus est. Vt autem exinde velit colligi, quod ipsi, in negotiis istis suis bellicis, opem auxiliumq; nostrum contulerimus, id in ipsa rei veritate ita comparatum esse minime deprehendetur, sed, vice versa, tam in isto nostro conuentu, q̃ alias etiam, noctu interdiuq;, eundem Ducem peramice admonuimus vt ex hisce terris sese alio conferre, & mandata sua exequi ne dedignaretur. Licet etiam V. Dil. ipsa verba formalia, Ducis nimirum copias cædendi, in litteris suis non vsurpauerit, nihilominus tñ collatione suorum delectuum (ex quib. supremus Locum-tenens, iam dudum captus, vnum atq; alterum fateri necessum habebit) sese, vti veremur, apud Ducem istum ita infestam odiosamq; reddidit, vt etiam multifariḙ nostræ intercessiones interea eo minus feliciter successerint. Pari modo Vestra Dil. dicere nequit, quod, belli sedem ex hisce locis transferendi, nobis non curæ cordique fuerit: Sed multo potius nos, nostrique subditi, conqueri poterimus, quod Dil. Vestra, ad Ducis hostium maiorem confirmationem & obstinationem, tantum tam equitum peditumque numerum, ex tam longinquo itinere Darmbstadio scilicet hosce ad limites miserit, &, procul dubio, Anno 1621.

belli

Anno 1621. belli ſedem inſtinctu ſuorum Conſiliariorum, heic figere voluerit, quod quidem, nũc ſi mutari poſſet, Dilect. Veſtram miſſum feciſſe exoptaremus. Quod etiam præterea Dilect. Veſtra ſibi perſuadere conetur, ſeſe, reſpectu Sacr. Roman. Imperij Conſtitutionum, Duci tranſitum diuerſionemque permittere non potuiſſe, illud cum eadem Veſtra Dilect. quemadmodum etiam cur vni bellanti, magis quam alteri parti addicta ſiet, in nullam diſceptationem vel diſputationem nunc trahere volumus, ſed ea omnia Dilect. Veſtræ excuſationi rellinquimus, lubentes tamen percipimus, quod erga Palatinatum ſingulari dolore tangatur, aliter tamen ipſo facto, quam iſtiuſmodi documentis, dolor iſte teſtandus eſſet.

De fideli alias Electoratui Palatino dato Veſtræ Dilect. conſilio nobis nihil omnino conſtat, quum illud nobis numquam communicatum fuerit. Quod autem ambo nos Principes non dumtaxat Palatini, verum etiam Cæſareæ Maieſt. aliorumque Electorum & Principum feudales clientes ſimus, id, tamquam ſenior regens Princeps, etiam abſque Dilect. Veſtræ obiectione, ſcimus: illudque ipſum heic pari modo conuertere poſſemus, quod vtrimque non ſaltim Cæſareæ Maieſt. & pontificiorum quorundam Electorum & Principum, ſed & ſi-

simul Electorales Palatini clientes essemus. Anno
An vero tam ardua grauissimaq; negotia tũ 1621.
recte distinguantur, si clientes vel vasalli aduersus dominũ suum feudatarium hostiliter insurgant, alterique in caussa priuata adhæreant, immo hastis & fustibus res geri volet, (quemadmodum hisce diebus factum, & Dilectionem Vestram nunc intellexisse æstumamus) illud intellectum nostrum transcendit, istamque separationem in nostra Cancellaria reperire minime possumus.

Cum insuper Dilect. Vestr. petitio ad immerentes solummodo casus sese referat, eapropter eosdem, vna cum nostris, hodierno tẽpore, proh dolor, minime reperire possumus, nec cardini & ianuæ nos committere, vel hisce rebus immiscere volumus, quemadmodum etiam non cernimus qua in re dilect. Vestra contra Prouincialem pacem & Sacr. Rom. Imperij Constitutiones onerata esse velit, quum, mera ex voluntate & arbitrio, contra Ducem Christianum, tamquam Electoratus Palatini officialem, suos tanto numero miserit, &, expressa facta coniunctione, spreta & seposita sanctione Circuli, eidem renunciauerit, immo in litteris suis de eo coram nobis gloriata fuerit, ad cuius sane adprobationem vel imitationem non tenemur, nec ad istiusmodi factorum obligationem cogimur, quemadmodum etiam

Anno 1621. Dilectionis Vestræ excusationi relinquimus quomodo videlicet, absque nostro præscitu atque voluntate, super hoc casu, ad defensionalem istam Correspondentiam peruenerit, & in eadem perseuerare conetur.

Quod autem simul Vestra Dilect. nobis minus sane peramice obiiciat, nos nuperrimo tempore, Circuli Capitaneatus officij caussa, nosmet ita resoluisse, vt isti declarátioni nostræ minime innitendum fiet, in eo certe istarum litterarum Conceptor, vel formator, contra Stylum enormiter impegit, vbi quidem vestra Dilect. cum istiusmodi impositione (præsertim cum illa ipsa, vti ex antecedentibus videre est, aliique Circuli Ordines ipsi in culpa quod hactenus ad rectam circuli constitutionem peruenire, in ea non audiri, in hodiernam vsque horam non confirmari, decentem instructionem non adipisci, nec restantem quotam, vna cum Pensione, 22. nunc ab annis accipere potuerimus) nobis, quasi in administratione nostri officij variare debeamus, non immerito parcere debuisset. Quod denique etiam Vestra Dilectio. de Hispanorum, contra omnium gentium iura, facta, hostili inuasione domus arcisque nostræ Rheinfelsianæ nihil scire velit, nisi quæ ex nostra relatione percepisset, id itidem suo loco nunc

eo nunc rellinquimus : miramur tamen Dilectionem Vestram , in vicinis rebus ; laudabilem nostram domum concernentibus , adeo frigide certiorem reddi : & simul tamen sperare nolumus Dilectionem Vestram inexcusabile adeo facinus (quod etiam Cordoua Vice-Generalis ipse damnauit, illudque, se inscio, & contra voluntatem suam factum fuisse affirmauit) adprobaturam , vel etiam clanculum super eo exultaturam esse , conditionales itidem Dilectionis Vestræ pollicitationes litteris suis adnexas , quodque primum omnem rei gestæ seriem & circumcumstantias explorare velit, iam itidem suo loco rellinquimus , & effectus siquidem constantiam adsistentiamque istam restabitur : Verum effectus illud in eo satis commonstrat, quod Dilectio Vestra fidelem pernecessariamque istam communicationem nostrorum vtrimque Consiliariorum & Officialium adeo contemptim repudiauerit , per expressum iterum atque iterum heic protestantes , si , ex intermissione tam necessarij negotij , vni vel alteri parti inter nos aduersi , damni, vel periculi quiddam oriri debeat , vel exortum etiam siet , quod tum nostram innocentiam & fidelẽ in hoc negotio intentionẽ Anno 1621.

Anno 1621.

coram Deo Ter Optumo Maxumo & vniuerso mundo sufficientissime testatam esse velimus, operæ pretium etiamnum esse autumantes si Dile. Vestra suis nobis heic vicinis consiliariis & Officialibus absque vlla mora mandaret, vt quamprimum sese ad nos conferrent, ac vna nobiscum de perniciosissimo negotio, atque adeo vniuersali metuenda Prouinciali ruina deliberarent, cuius rei quidem nos, præsenti negotio inuigilantes, multis nunc elapsis diebus equitum tribunum nostrum Philippum VVinterum, ad Dilect. Vestræ Consiliarium atque Capitaneum Giesensem, fidelissimæ adfectionis, intentionisque gratia, ablegauimus, ieiunam admodum responsionem autem ab eo recepimus. Id quod Dile. Vestram celare nolumus, eidemque peramica nostra officia denuo obferentes.

Domini Lodoici Cattorum Principis, ad Mauritiano-Landgrauianas litteras, responsio.

Ad Inlustrissimi Cattorum Principis Mauritij hasce litteras, Pelecanus noster Hasso-Mœnofranckfurtensis sequentem in modum respondit: Peramica nostra vicissim officia, &c. Inlustrissime Princeps, peramice Gentilis, frater, atque Compater, &c. Dil. Vestræ iteratas, sub dato 14. Mensis Decembris, Christiani Ducis Brunsvvicensis, atque Episcopi Halberstadensis in limitibus nostris Hassiacis nuperrimo tempore hostilia attentata concernentes litteras bene accepi-

accepimus, iiſdemque pellectis earundem Anno
ſummam probe intelleximus. Quamuis 1621.
autem hactenus dubitauerimus, an neceſſum vel reputabile ſiet, vt impoſterum quoque noſtras cum Dilect. Veſtra litteras permutaremus, præſertim quum rerum periti prudenteſque viri, noſtras & Dilect. Veſtræ litteras vtrimque conferentes, ſcopum, ad quem videlicet iſtæ colliment, facilime ipſi attacturi ſient, relliquæ obiectiones vero, dum tamen, præter nudam acerbamque veritatem, nos nihil ſcripſiſſe recordamur, ſuo tempore inexceptæ permaneant, nihilominus tamen (ne forſitan Dilect. Veſtra gloriari poſſit, ipſam grauiſſima quadam retorſione nobis os obturaſſe, alij quoque, ad quorum manus hæ noſtræ commutatoriæ peruenturæ ſunt, eo diſcretius de iiſdem iudicare poſſint) operæ pretium, conſultumque eſſe autumauimus, ſi ad præcipua quædam puncta aliquanto fuſius reſponderemus. Et quidem ad Dilectioni Veſtræ commiſſum, ſuſceptum, atque Ræſenſi expeditione vniuerſo Sacr. Roman. Imperio comprobatum circuli Capitaneatus officium quod attinet, de eo Circuli Acta & hiſtoriæ loquantur: Etiamſi quoque, quemadmodum & cæteri Ordines, modo dictæ Dilection. Veſtræ Ræſenſis expeditionis bellicæ cauſſa, noſtram excuſationem prætende-

Anno 1621. re possemus, attamen, propinquitatis nostræ ratione habita, magis tum temporis contribuimus, quam obligati fuimus, vti in nostra hisce inserta copia sub littera A. videre est, & præterea pro Dilect. Vestra, in Circuli consilio aliquoties omnia in meliorem partem interpretari curauimus, quemadmodum Dilect. Vestræ, aliique ad Circuli Conuentus ablegati consiliarij, atque adeo ipsa Protocolla satis superque testabuntur. Sin porro Dilect. Vestra hocce susceptum Circuli Capitaneatus officium, in huius superioris Rhenani Circuli Ordinum commodum atque emolumentum, non gerere vel sustinere voluisset, tunc ab eodem tamen sese liberare, illudque decenti solemnitate Circuli Ordinibus resignare potuisset, qui proculomni dubio aliquanto conducibilius suæ necessitati in tempore prospexissent.

Quemadmodum autem in hodiernum huncce diem vsque, licet incendij flamma omnes nostros fines circumuolitarit, alienis bellis ne in minimo quidem nosmet immiscere voluerimus, atque etiamnum nolimus, ita à Dil. Vestra interim, facta admonitio intentioni nostræ minime aduersatur, neque eamdem vnquam in malam partem interpretati sumus.

Per se tamen alias notorium, Christianum Ducem Brunsuicensem, contra Sacr. Rom. Imperij

Imperij constitutiones, multis equitum cohortibus, nobis insciis, ad fines nostros sese contulisse, vallem Buseccensem occupasse, deuastasse, Prouinciales nostros Dominos Equestris Ordinis, nobiles Officiales atque subditos partim bombardis transfigi, partim ferro necari, partim vero incendiis direptionibusque infestari curasse, illaque omnia, quemadmodum missiones & litteræ hinc inde testantur, contra nostram præscientiam atque voluntatem, adeo vt Dux iste suæ intentionis, nudam dumtaxat transitionem concernentis, ne verbulo quidem nos certiorem reddiderit, multo minus sese, ad restitutionem illius, quod tam mature sancitæ deliberatæque Sacri Roman. Imperij Constitutiones requirunt, obtulisse: vnde iterata vice nobis persuademus (quum Dilectio Vestra non procul à finibus huius Circuli, Cörbachij videlicet, apud Ducem fuerit, atque, procul omni dubio, intentionem ipsius in tempore perceperit) Di lect. Vestram multo melius excusabiliusque fecisse, (cum alias Dux, à Cæsareanis impeditus, neque Mœnum neque Rhenum traiicere potuisset, sed, si ad fluuios istos peruenisset, vel cum militaribus suis copiis retrocedere, vel bellum in VVetterauiam, in nostrorum vicinorumque Domi- Anno 1621.

Anno 1621. niorum perniciem, necessum habuisset) si illum vel ad retrocedendum, vel, ad minimum, ad restitutionem eorum, quæ in laudatissimis istis Sacr. Roman. Imperij constitutionibus requiruntur, peramice instigasset, quam vt, nobis omnino insalutatis, eumdem noctu diuque, ad sequendam maturandamque Palatinatus & Hollandicorum Ordinum militiam, admonuisset, atque ita nobis vicinisque nostris insciis, nulla præcedente debita qualificatione, peregrinum istum militem hisce oris immisisset.

Nostram inter nos inuicem habentem obligationem, Principalis nostræ domus hæreditariam transactionem cõcernentem, nullis nouis conditionibus onerauimus, sed casus in ea, si videlicet vnus ex nostris, absque sua culpa, hostiliter impetatur, clare atque expresse distincti sunt. Quum igitur à Duce Brunsuicensi, contra Prouincialem pacem, armata manu, supra commemorato modo, & antequam nobis quicquam de sua intentione scire licuisset, absque vlla ipsi data culpa, violenter hostiliterque impetiti fuerimus: iccirco coram Deo Ter Optumo Maxumo, Cæsarea Maiestate, omnibus Sacr. Roman. Imperij Electoribus, Principibus, & Ordinibus, atque adeo vniuersis & singulis, vti sane confidimus,

mus, iure nobis concessas, atque etiamnum obtinentes ditiones & subditos, iuxta pacis prouincialis litteram, vna cum aliorum Electorum, Principumque auxiliantium subsidio, tumultuose tum temporis impetrato, defendimus, eo ipso tamen facto alienis bellis & negotiis nosmet neutiquam immiscuimus. Quocirca, si, vltra tam iustam necessariamque nostram intentionem, forsitan porro violenter impetamur, etiamnum confidimus, Dilect. Vestram corpore, fortunis, omnibusque suis viribus, ex debito obligationis officio, ad vlteriorem nostram rogationem, nobis præsto futuram, qua in re quidem eamdem denuo requisitam, nec dimissam volumus. Interea tamen admodum nobis rarum peregrinumque videtur, quod Dilectio Vestra, non dumtaxat ex se ipsa, verum etiam instinctu quorundam suorum, ad hoc negotium selectorum, Consiliariorum & Ordinum, in notorio immeritoque hocce periculo, (quemadmodum id non vnicis dumtaxat testibus, sed integris pagis, quæsturis, & omnibus Prouincialibus comprobatur) contra expressam hæreditariorum nostrorum litteram, debitam adsistentiam nobis rotunde denegauerit, nos deseruerit, atque ista sua desertione ansam occasionemque dederit, vt Wahla pagus in cineres redactus, & ita hoc facto aliquot florenorum

Anno 1621.

Anno 1621.

millia damnum illinc illatum fuerit: quod ſane Deo Ter Optumo Maxumo, tanquam ſummo & iuſtiſſimo iudici, hac vice committimus. Interim tamen nemo ſiniſtre nobis interpretabitur, ſi, eius rei gratia, loco competenti quærimoniam inſtituamus, & noſtræ neceſſitatis, quantum quidem ius & æquum nobis permittet, curam rationemque habeamus. Interea conſtanter etiamnum affirmamus, ſi videlicet Dilect. Veſtra, quemadmodum laudatiſſimus inferioris Saxoniæ circulus, nos, aliique adfecti ſumus, tanto ardore, ſedẽ à principatus noſtri finibus arcere volet, eandem tum impoſterum omnibus ſuis viribus militareis iſtiuſmodi diuerſiones & tranſitiones, reſpectu S. Rom. Imperij Conſtitutionum etiam abſque noſtra admonitione, auerſuram: iamque ſuapte teſtatum ſit, non Electoratus Moguntini territoriorum, aliorum dominiorum, noſtrorumque limitum defenſionem, ſed nimiam Duci Brunſuicenſi factam indulgentiam (de qua ſane ſupe-inferioriſque ſtatus atque conditionis homines nimium publiceque conqueruntur) periculoſiſſimã iſtam tranſitionem & belli molem iſtam in has terras inuexiſſe, quapropter etiã cauſata iſta damna illatæque deuaſtationes poſt hæc decenti modo ab auctoribus repetendæ ſunt.

Quod fidelitatis iuramentum, quod nos, vna

vna cum Dil. V.ra Rom. Imperatori præstare tenemur, (ad cuius Maiestatẽ nostra principalis auctoritas fundata, & à qua principatus & summa nostra Regalia obtinemus) omnibus aliis obligationibus feudalibus præponi debeat atque oporteat, ac iuxta vniuscuiusque feudatarij Domini obsequia decẽti respectu cõsideranda sient: de eo sufficienter (Deo sit laus & gloria) informati sumus, eaq; de re iam dudum iuris instructio typis publicata est, quam Dil. V.ræ ea potissimũ de causa tramittimus, si forsitan istiusmodi exemplar ab ea nõdum conspectũ fuerit, omnes ipsius actiones tamen iis in locis, ad quæ proprie pertinent, excusandas rellinquentes. In communibus quoque scriptis Cæsareis, imo omnium Gentium iuribus defensio vnicuiusque status æque minus, quam in circuli constirutionibus, & hæreditariis nostris pactis, cum, vel absq; correspondentia vicinorum, Euangelicorum, aut Catholicorum, Principum, istæ Vniones, vel (vti formalia hæreditariæ nostræ transactionis sonant) peregrinæ confœderationes, ex quibus bella oriri possent, sunt prohibitæ, vbi præstito iuramento earundem totalis euitatio promissa fuit: quod sane punctum, præsertim vero in ista Bingæ tractata renunciatione, Dilect. Vestra aliquanto altius perpendere necessum habebit. Quatenus etiam Vestra Dilect.

Anno 1621.

Anno 1621. Dilect. circuli-Capitaneatus officij sui causa, erga Reuerendissimum Dominum Electorem Moguntinum sese denegatiue resoluerit, illud, ex inserta hisce copia, sub littera B. sibi adhuc probe reuocabit in memoriam, &, conceptorem contra stylum minime impegisse, deprachendet.

Ad tumultum Rheinfelsensem quod attinet, de eo Dilect. Vestræ, sub dato 16. huius mensis, respondimus, in quo etiamnum adquiescimus. Quo minus autem Consiliarios nostros ad Dilect. V. Consiliarios, circa 7. eiusdem mensis diem, ablegare potuerimus, in causa fuit quod Dil. V. litteras pridie istius diei primum acceperimus. Similiter & Capitaneus noster Giesenus nihil aliud nobis retulit, quam quod Dilect. V.ræ equitum tribunus, Philippus Winterus, ipsi proposuerit, vbinam locorum Baro Tilly sese nunc contineret, cum mediocri sibi communicatæ instructionis significatione. Ampliorem tamen hac de re inquisitionem instituemus, & nostris Consiliariis Giesensibus mandabimus, vt (si Vestra Dilect. ipsis in locum tertiũ, aut Friedbergam, vel Vetzlariam versus, conuentum indixerit) tunc sese cum Dilect. V.ræ Consiliariis coniungere, ipsorum sententias & propositiones audire, easdemque ad nos referre debeant.

Cætera omnia nuda fundamentalique contra-

Anno 1621.

dictione, & necessaria reseruatione refutata volumus, & Dilect. V.ram, cui alias ad peramica officia prompti paratique permanemus, eadem ista celare nolumus, &c.

Copia additamenti lit. A.

Ad Ræsensem expeditionem bellicam, A. C. M. DC. IX. ab superioris Rhenani circuli Ordinibus Confluentiæ 12. & postmodum A.C. M.DC.V. Vormatiæ itidem ad subsidium illud 12. atque ita coniunctim 24. menses Romanæ expedit. simpl. promissi sunt, qui principali domui Hassiacæ, &c. tenore matriculæ Imperij, ad 50. equites & 260. pedites alendos, 39000. & 360. florenos persoluendos constituunt, de quibus cuilibet principali parti, nempe

Domino Landgrauio Mauritio florenorum 23000. & 780.

Domino Lodoico, Seniori, Hessorum Principi autem, de Anni XC IX. promissis 12. mensibus, florenorum 5000. & 576. persoluenda veniunt.

Licet etiam omnia nimis tenaciter ad calculum reduci, & A.C. M. DC. V. promissis 12. mensibus Domini Lodoici Senioris pientissimæ recordationis, quota Inlustrissimo Principi Domino Lodoico iuniori ad medietatem (in qua tamen Darmbstatinæ Lineæ non contemnenda sane particula adhuc restat, eidemque per hoc nihil omnino præiudica-

Anno 1621.

iudicatur) adtribui debeat, nihilominus tamen Inlustrissimi Principis Lodoici iunioris portioni nonamplius quam 1000. & 4. floreni persoluendi essent.

Summa flor. 39000. & 360.

Viceuersa Inlustrissimus Dominus Landgrauius Lodoicus iunior persoluere iussit

Florenorum 26000. & 412. alb. 10. obolor. 4. & $\frac{3}{4}$.

Sin nunc igitur Lodoicus Hassiæ Landgrauius, istorum in Rhenano Circulo ad Ræsensem expeditionem bellicam promissorũ sumptuum ergo, nonamplius, quam alius Circuli Status, persoluere tenetur, tum à Darmbstatina parte

Floren. 16000. & 408. alb. 16. obol. 4. & $\frac{3}{4}$. supererogata sunt.

Copia additamenti Lit. B.

Domini Maurit Lãdgrauii, ad Dom. Electorẽ Mogunt. epistola.

PEramica nostra officia, &c. Reuerendissime Domine & amice: quæ V.ra Dilect. ad nos, sub dato Aschaffenburgi 16. huius mensis Decemb. in litteris Kniphusianas militareis copias concernentibus, perscripserit, illud ipsum ex iisdem, hodierna primum luce nobis traditis litteris aliquanto fusius percepimus. Ad quod Dil. V. celare nolumus, non abs re esse, quod Kniphusius, vti sane ex aliis intelleximus, aliquot militũ cohortes collegerit & in hasce terras venerit. Paulo tamen antea itidem informati sumus, easdem mili-

tareis copias per Brunſuicenſe territorium, in Dil. V. ditionem perueniſſe, vbi à Brunſuicenſibus partim cæſæ, partim diſperſæ fugatæque ſunt. De earundem autem numero, & quot ex iiſdem in reſiduo permanſerint, de eo Dil. V. certiorem minime reddere poſſumus, illas ipſas vero Fuldam verſus ſeſe conuertiſſe, ſcimus. Anno 1621.

Quod autem V.^ra Dil. inter alia Circuli-Capitaneatus officij, quodque per illud mature facto eidem progreſſu obuio tranſitus vel omnino auerti, vel tamen miſerorũ ſubditorum metuenda pernicies præcaueri debeat, mentionem faciat: in eo ſane hactenus nullũ non lapidem mouimus, quo pacto videlicet pauperras ab omni violentia & iniqua inuaſione defendi potuiſſet: atque adeo etiamnũ hodie, hiſce in rebus, circuli conſtitutionibus, in omnibus earundẽ punctis, atque clauſulis, ſatisfacere prompti paratique ſumus. Peramice tamen V.^ra Dil. ſibi adhuc reuocabit in memoriam, quomodo multis nunc ab annis cum hocce circulo comparatum fuerit, & quod nemo nobis paruerit, etiamſi de noſtro ſtudio & impenſa diligentia nihil deſideratum fuerit: adeo vt non vna dumtaxat vice ad circuli-cõuentus indictionẽ, in quo ſane omnia grauamina & irreptitij defectus & tolli debuerint & potuerint, multo minus ad reſtantẽ nobis nõ contemnẽdæ

pecu-

Anno 1621. pecuniæ quotam peruenire potuerimus. Quibus commemoratis de causis, nulloque præstito nobis hactenus obsequio, Dilect. V.ra peramice nos excusatos habebit, quod dictum illud circuli-Capitaneatus officium, in istis & similibus istiusmodi casibus, non pro decenti modo, quemadmodum & voluimus, & etiamnum vellemus, administrare & exercere potuerimus. Id quod Dilect. V.ram, rebus ita constitutis, celare noluimus, eidem ad præstanda amicæ vicinitatis officia prompti paratique permanentes.

Domini Lodoici Cattorum Principis ad Dom. Landgrauium Mauritiũ alia littera.

De Hispanorum circa Rheinfelsianam arcem hostili conatu, & tentatione irrita, idem ille Inlustrissimus Hassiæ Landgrauius in suis ad Dominum Lodoicum Cattorũ Principem datis litteris, supra commemoratis, verba fecit. Postquam vero Inlustrissimus Princeps, Dominus Lodoicus, eius rei gratia, meliorem notitiam percepisset, eapropter sequentem, eadem de re, epistolam ad Dominum Mauritium Hassiæ Landgrauium ablegari curauit.

Peramica nostra officia, &c. Inlustrissime Princeps, peramice Gentilis, frater, atque Compater. Ad promissorum nostrorum in litteris, sub dato 7. huius mensis Decembris, Dilect. V. factorum satisfactionem, ad Vice-Generalem Don Goncalcum Fernandem de Cordoua scripsimus, & omnẽ rei ad Rhein-

felsam

felsam nuperrimo tempore gestæ seriem scire desiderauimus. Ex cuius litteris responsoriis, sub datis 24. & 25. Decembris, (quarum copiam in suo idiomate ad Dil. V.ram mittimus) videre est, irruptionem istam, à Capitaneo Hispano contra mandatum factam, non adprobari, sed multo potius repræhendi & argui. Quocirca extra omnem ponimus dubitationis aleam, quando, & quandiu V.ra Dil. in terminis obsequiosissimi, erga Cæsaream suam Maiest. Dominum nostrum clementissimum, respectus perseuerauerit, & ipsa ad bellum nullam ansam occasionemque præbuerit, quod tum ipsi à Cæsareano exercitu nihil omnino aduersi metuendum siet. Cum insuper principalis nostræ domus iuratum pactum res ita distinguat: si quis ad minus necessaria vel petulantia bella ansam præbeat, quod tum alter illi succurrere minime teneatur: eapropter, ad nostram quidem partem quod attinet, commemorato isti nostro hæreditario pacto, in omnibus casibus, ad quos Dilect. Vestrę obligamur, fideliter satisfacere promti paratique sumus, eidem peramica nostra officia denuo obferentes.

Anno 1621.

Sequuntur nunc Vice-Generalis Don Cordouæ ad Inlustrissimum Dominum Lodoicum Hassiæ Landgrauium litteræ:

Goncalcî Fernandis de Cordoua ad Dominũ Lodoicum

Monsieur, I' ay receu celle qu' il a pleu à V. E. m'

Anno 1621.

Hassia Lãd-grauium littera in lingua Gallica.

E. m'escrire, par laquelle elle m' aduise des plainctes, que Monsieur le Landgraue Maurice de Hessen leu faict, sur l'inuasion que quelques trouppes de cest Armee firent en sa ville de St. Gower, Ie baisse bien humblement les mains a V. E. de ce qu' elle me faict la faueur de me dire, la supplicant qu' il luy plaise d' entendre tout ce qu' en cest affaires' est passé, affin que V. E. puisse demeurer satisfaite, & asseurer Monsieur de Landgraue Maurice de nostre intention procurant loinctement de scauoir de luy, en que forme qu' il veult que les affaires procedent, d' icy en auant, affinqu' en ceste conformité ie puisse disposer ceulx de Sa Mté, & traicter de garder auecq ledit. So Landgraue Maurice & ses terres la bone correspondence que Ie desire, où asseurer celles de sa Mat. de sorte qu' elles puissent estre sans danger, & m' opposez aux hostilitez que Monsieur le Lantgraue Maurice feroit.

Quand la derniere fois Ie passay le Rhyn auecq l'Armée de sa Mte. a ce cossé, I' eus differenz aduis, come le Ducq Christian de Brunswich auecq les trouppes qu' il a mene quant & luy, alloit le Rhyn par tetres dudit Sr. Landgraue de Hessen auecque intention de le passer par St. Gower, & entrer en l' Honstruck, & puis que lors il importa que le fusse auecq l' Armée là où se trou-

ſe trouuoit Ernſt de Mansfelt, Ie donnay ordre au ſerdeant Maior Louys de ville, qu' il s' en allaſſe vers Caub & Bacharach auecque le Regiment du Comte de Embden en quelques Compagnies Bourgignones, & quand il voiroit qu' en effect les trouppes dudit Sr. Ducq Chriſtian de Brunſwich attentaſſent de paſſer le Rhyn par St. Gower, qu'il procuraſſe de le l'eur empeſcher les rompant s' il pouuoit, où leur quittant les barques & quelquonque aultre commodité dudit paſſage, occupant tous les poſtes qu' illugetoit neceſſaries, affin que lesdictes trouppes ne paſſaſſent le Rhyn eſtant ledit ſergeant mayor auecq les gens arriué en ces quartiers là, & moy me trouuant ſi es loigné, I' ay entendu par l'aduis du Cap.ne Montoya il enuoya quelques gens contre lo fort & la ville de St. Govver, ce qu' y fuſt bien contraire à ma volonté & intention, & à mon grand des plaiſir, Comme Ie l' ay aduisé par mes lettres à Monſieur le Lantgraue Maurice de Heſſen, ſur les quelles Ie n' ay pas eu reſponce & ainſy le ſupplie bien humblement. V.E. qu'il luy plaiſe me faire la faueur d' aſſeurer le dict Sr. Lantgraue de ceſte mienne intention, & du deſit, que I' ay, qu' encelleſe trouue ſatisfaict, & de garder auecq luy & ſes terres la bonne cor-

Anno 1621.

 reſpon-

Anno 1621. respondence qu' y s' a tenu iusques astheure, chastiant ceulx qu' y ent esté coulpables en la faulte passée, tout cecy s' entend emcas que Monsieut le Lantgraue Maurice ne donne point aux troceppes de Brunswich la commodité de passer le Rhyn par St. Gower, où par aultres places qu' il a surviuiere, caris' il fisse le contraire, Ie ne pourrois laisse de m' epposer pout la defense non seulement des terres que l' Armée de sa Maté. occupe, ains aussy de celles appartenantes à Messieurs les Archeuesques de Marsence & de Treues, & comme il semble que Monsieur le Lantgraue ces Iours faict approcher partie de gens vers ces costes lá, & que par la' il m' obligera d' y tenir aussy ceulx de sa Mate. en gros, dont ensuyt grand dommage à Iceulx endroitetz, Ie supplie à V. E. de lecy aduiser qu' il sera bien qu' il retire les dictes gens, s' il à bonne intention, & qu' il laisse en St. Gower, & les aultres places les garnisons ordinaires, affingue Ie paisse faire le mesine s' asseurant que (puir que cest affaire va par mains de V. E.) de nostre costé, il ne s' intentera aulcune hostilité pendant que de la part' de Monsieur le Lantgraue Il nous en soit pas donne occasion, Ie supplie V. E. me par donner que Ie l' entremets en ceste occupation pour estre chose touchant le bien commun,

mun, & en laquelle ſe doibt cognoiſtre, que mon intention n' eſt aultre que de garder la bonne correſpondenze auecq touts ces Seigneurs, meyennant qu' ilz ne m' obligent au contraire, ſurquoy baeſant bien humblement les mains de V. E. Ie la' ſupplie decroire que Ie ſeray touſiours. De Oppenheim le 24. Decemb. 1621.

Goncalco Fer. de Cordoua.

Eiuſdem Vice-Generalis ad eundẽ Dominum Landgrauium alia littera in lingua Hiſpana.

DEl Sr. Landgraue Mauricio é recibido oy vna carta en reſpueſta de la que yo le eſcriui los dicas paſados, en laqual me dize el ſentimiento que le cauſado la demonſtracion, que ſe hizo contra ſu villa de St. Gower, y me parece que non ſe da enteramente por ſatisfecho, que aquella acion fue contra mi voluntad y contra mi intencion, de lo qual me eſpanto mucho porque ſi ſe vbiera hecho por mi diſpoſicion, ya que no tuuo execution la vez paſſada, no vbiera perdido tiempo en boluerlo a intentar de ſuerte, que la ruuiera, pues para ello no faltan ny las fuerzas ny la occaſion, contodo eſſe me dize el Sr. Lantgraue que eſta reſuelto à continuar la buenna correſpondencia, ſi de nueſtra, parte ſe haze lo miſmo, yo pienſo en conformidad de lo que tengo eſcritto à V. E. retirar à las guarniciones la gente

Anno 1621. que aora se halla alli engruesso, para quitarle la occasione de todo genero desospecha, pues en caso guel Sr. Landgrave intente qualquiera cosa d. hostilitad. facil sera poner de nostra part del remedio que conuiene. Tambien me dize el Sr. Landgrave, quele embie la persona culpada para que la castique, y porque esto es cosa que no se à costrumbado Iamas, le respõdo, que ijo tomo à mi cargo el castigaria de suerte, que se eche de Veerio mal que à procedido, De todo esto me à parecido dar quenta à V. E. ij suplicarle de aentender al Sr. Lantgraue Mauricio, quan ageno estoy de romper los tratados de la paz por mi parte, mientras para lo contrario no se me diere occasion, y que quando la Villa de St. Govver se ubiera occupado sin oredin mia, sela mandara luego boluer, y que si yo ubierla dado orden paraque se hiziera lo que se intento, no desistiera de la empressa hasta que tuuiera buen efeto, en loqual podra echar de uerque se hiazo contra mi voluntad, Guarde nostro Sennor à V.E Ios annos que y deseo. De Oppenheim à 25. de Diziembre 1621.

Goncalo Fer. de Cordova.

Mansfeldiani Alsatia quadam lo- Circa finem mensis huius Decembris Mansfeldiani sese in Alsatiam contulerunt, præser-

præsertim vero 27. eiusdem M. die Argentinam vsq; progressi episcopatus istius subditos varie mulctarunt, iisdem equos ex curribus abstulerunt, partim vero currus simul cũ equis secum deduxerunt. Duo autem ex iisdem Mansfeldianis equites, sub ipsis Argentinæ portis deprehensi, in vincula coniecti sunt. Ciuibus autem in vallo excubias agentibus tormenta inter relliquos Mansfeldianos displodentibus, Mansfeldiani recesserunt, Tabernas Alsatiæ, paucis ex suis amissis, occuparunt, quemadmodum etiam paullo post Moursmunsteram, ccc. ex suis itidem illinc amissis, sibi subiugarunt. Hagenoæ vero Mansfeldius (etiamsi vrbis Magistratus c. florenorum M. Mansfeldio persoluisset, eidemq; cc. ducatos ad partem contribuisset) ditiores ciues denuo grandi pecuniæ summa mulctauit: cumprimis vero Dux Saxoniæ Lauvvenburgicus, Nobilis Vvickersheimii, Spirensis Principis Signiferi, ædeis in illa vrbe occupauit, frumentum, vinum, omnem supellectilem, vasa argentea, vna cum cccc. thaleris Imperialibus sibi sumpsit, Lutheranis Euangelicis vrbis illius inquilinis saluam Guardiam, vti vocant, Romano-Catholicos autem in prædam dedit.

Anno 1621. *ca occupãt, diripiunt, &c.*

Vice versa, eodem ferme hocce tempore, Bauaro-Hispanici milites, præsidiariique Ydenheimici, vltra DC. equites peditesque excur-

MDCXXII. *Prope Elsanziã cæsi fugatique.*

Anno 1622. excurſionem faciuntes, in pago Elſanzio, duobus ab Heydelberga milliaribus ſito, 60. illinc modo conſcriptos milites, vino ſomnoque ſepultos, ac minus, quam decebat, excubias agentes, ſubito obruerunt, 30. ex illis mactarunt, relliquos in fugam coniecerunt, & quoſdam ex curiæ funeſtris in plateas præcipites dederunt. Illinc digreſſi cum capto loco illius prætore, & equorum pecorumque opima præda Ydenheimium reuerſi ſunt.

Pacificationis inter Cæſaream Maieſt. & Hungaros articuli.

Ineunte, ineuntis huius, ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, viceſimi ſecundi, Anni, menſe Ianuario tandem diu exoptata pax, inter Cæſaream ſuam Maieſt. & Hungaros, ſequentibus articulis conditionalibus concluſa eſt:

I. Limites à Germanis & Hungaris, vti antehac, cuſtodiantur.

II. Corona Hungarica, vna cum ad eandem ſpectantibus clenodiis, Presburgum rurſus adferatur.

III. Omnibus & ſingulis per vniuerſam Hungariam, in ſpecie quoque Buthiano, admiſſorum perdonatio detur & publicetur.

IV. Mohatſchium, ad Dominum Eſterhaſium ſpectans dominium, Gabrieli Betlehemo ad dies vitæ, viceuerſa vero Eſterhaſio Comitatus & Dominium, Forchtenſteina, & Eyſenſtadium tradantur.

V. Bet-

V. Bethlemus Cassouiæ residentiam suam habeat, eamdem, loco & nomine Cæsareæ suæ Maiest. gubernet, eidem adhuc V. Comitatus adtribuantur, obsequium sane Cæsareæ suæ Maiestati, redditus vero Bethlehemo relinquantur, eidemque adhuc in singulos annos L. florenorum M. persoluantur. Anno 1622.

VI. Iesuitæ extra Prouinciam arceantur, nec collegium, neque immobilia bona possideant, donec in generali Ordinum Conuentu de eo aliud decernatur: interea tamen Romamo-Catholicis Proceribus Iesuitici Pastores & confessarij permittantur.

VII. Iagerndorffius vsque ad Marchicos limites comitetur, ipsius militareis copiæ dimittantur, ipsiq; admissorum venia condonetur. &

VIII. Comes à Thurn aliique rebelles in hisce minime compræhendantur. De quibus tamen suo loco plura dicturi sumus.

Hisp. Grassatores summo supplicio adfecti.

In Frisia & Brabantia interim multæ trahæ adornatæ sunt, quibus ex: & incursionibus Hispanorum militum decenti modo obuiaretur. Acerrima siquidem sub ista frigoris vehementia Hispani erga Hazartam excurrere conati, vltra c. comprehensi, & summo supplicio adfecti sunt.

Res ante obsessum Iu-

Interea obsessi Iuliacenses crebris tor-

Anno 1622. *liacum gesta.*

mentorum diſploſionibus ad contrariam defenſionem ſeſe maſcule præpararunt, & obſidentibus ex alto, vnde vnica vice 6. vel 7. milites petere poterant, magna damna detrimentaque intulerunt. Hiſpani igitur obſeſſorum violentiam minime ferentes, pari modo tormenta ſua in altum collocarunt, ac obſeſſis iterum ingentia damna intulerunt. Poſtquam autem Comes Henricus arcem vrbemque ſimul ſibi dedi poſtulaſſet, contumelioſam hancce reſponſionem inde retulit: expectaret videlicet feſtum Paſchatos, & tũ ſeſe de deditione inter ſe in uicem deliberaturos], expectaret igitur eo vſque, melius enim iſto tempore ſeſe cum ipſo colloquuturos eſſe: Interim tamen nihilominus ex vrbe tormenta ſua exonerarunt.

Tumultus, ob inſolentiam piſtorum, Neapoli excitatus.

Quantam inſolentiam, vel multo potius petulantiam, numipetæ piſtores per hancce hyemem non dumtaxat in Germania, verum etiam in Italia exercuerint, & neque diuinam (*Dilige proximum ſicut te ipſum*) neque humanam legem ſiue conſtitutionem curauerint, (adeo vt in præcipuis quibuſdam Sacr. Roman. Imperij ciuitatibus Magiſtratus, ad plebis ſuſtentationem, & metuendam famem præcauendam, panem pinſere & vendere neceſſum habuerint) id non dumtaxat aliquot ieiunarum animarum M.

ſummo

summo cum dolore experta sunt, verum etiam illud ipsum tumultus Neapolitanus satis superque testatus est. Postquam enim Vicarius Regius in ipsis Epiphaniis Cardinalem Caraffam inuisere voluisset, & in vrbis quodam loco, Del Olmo dicto, à populo conspectus fuisset, illico à famelica, panem desiderante, plebe concursus factus est: & nisi tum temporis vrbis annonæ prouisor eamdem inhibuisset, Vicarius summo cum despectu discrimen aliquod adiisset. Quocirca ad S. Martinum sese iterum contulit, &, ad maiorem metum præcauendum, Hispanorum cohortem ad corporis sui custodiam constituit. Cum etiam paullo ante aliquot officinæ pistoriæ ab eadem famelica plebe violenter reseratæ, panesque absque pretij persolutione ex iisdem ablati fuissent, eapropter Regius Vicarius, ad pistorum nequitiam coercendam, quosdam ex ipsorum medio, panes pinsere & pro pecunia vendere nolentes, quiq; paulo ante in alio quodam populi concursu ad peculiareis quasdam cædes ansam occasionemque dederant, ad triremes damnauit, partim vero alias salutares leges condidit.

Anno 1622.

Paullo post Christianus Dux Brunsvvicensis atq; episcopus Halberstadensis misso tubicine Susatū sibi dedi postulauit. Postquā aūt ciues atq; īqlini paululū restitisſēt, sumis viribus

Susatum à Christiano Duce Brunsuicensi occupatum.

Anno 1622.

viribus Dux ad expugnationem ſeſe præparauit ignemque vrbi immiſit. Obſeſſi itaque, ſibi ſuiſque metuentes, & hoſti ſeſe longe inferiores eſſe animaduertentes, tamdem, trucidatis ex hoſtibus vltra 50. deditionem fecerunt.

Pacificationis cum Griſonibus inſtituta articuli.

Poſt multifarias diuerſimodaſque, in durante adhuc tractatione tum temporis occurrentes, difficultates tamdem pacis cum Griſonibus inſtituta tractatio ſequentibus articulis confirmata eſt.

I. Ante montana Relligio in veteri ſuo ESSE, & immutata, permaneat.

II. Cleua reſtituatur, ſola tamen Romano-Catholica Relligio permittatur.

III. Loca in Engadino & Prædigauia principi prouinciali maneant, quæ tamen antidhac ad domum Auſtriacam ſpectauerant.

IV. Acceſſus ſiue aditus Regi Hiſpaniarum, & dictæ modo laudabili domui Auſtriacæ in perpetuum permaneat.

V. Vice verſa Rhætis 30. Florenorum M. annuæ penſionis perſoluantur.

VI. Tria Rhætorum M. conſcribantur, quoties modo illud deſideratum fuerit.

VII. Veltlinum impoſterum Reſpublica & Rex Hiſpaniarum eiuſdem protector dicatur, nullaque amplius, quam Romano-Catholica Relligio permittatur.

VIII. Omnia denique fœdera tollantur.

Anno 1622.

Saxonici milites in Comitatu Glatzensi fugantur.

Electoralem Saxonicum exercitum omnem ferme comitatum Glatzensem, arce & vrbe solummodo exceptis, occupasse, de eo, inter alia, supra mentionem fecimus. Cum vero ex eodem equitum tribunus Bernstadius, & Capitaneus Adamus Adranus VValuitius, cum aliquot equitibus & militibus sclopetariis, etiamsi sese hostibus longe inferiores esse præsciuissent, fortunam experiri volentes, hostibus per exploratores detecti, & ab iisdem erumpentibus circumdati fuissent, equitum iste tribunus, amissis 13. equis, fuga sibi prospicere, Capitaneum vero, ac simul cum illo L. milites sclopetarios omnino post sese rellinquere necessum habuit, qui omneis & singuli Glatzam captiui deducti sunt.

Præsidiarii Iuliacenses post deditionem egrediuntur.

Postquam obsessi Iuliacenses interea (17. videlicet die proxime elapsi mensis Februarij) cum hoste colloquium instituissent, eumque in finem 3. Capitaneos, videlicet Germanum, Anglum, & Gallum ex vrbe in castra emisissent, atque hoc modo cum Comite Henrico intra crucis montem & vrbem tractassent: eapropter præsidiarii, exquisitissimi beneque armati equitum peditumque milites sub mensis Februarij initium, cum suis impedimentis & volantibus vexillis circa 3.

Anno 1622. ca 3. pomeridianam, vſq; ad 10. veſpertinam horam, per media Hiſpanorum agmina egreſſi ſunt. Poſtremo Thomæ Villerſij equites, quorum 70. ferme fuerunt, ſubſequuti ſunt. Omnibus autem nunc egreſſis, ciues ſtramen ex ædibus eiectum vna cum ipſa putredine combuſſerunt, quum dicti iſti præſidiarij vltra 40. ægras perſonas ſecum deduxiſſent. Quo facto iidem ciues, Gubernatori ſuo vrbis claueis repræſentarunt, qui, iis acceptis, vna cum ſuis ad Colonienſem portam ſeſe contulit. Paulo poſt Gubernator per pedes ſupra pontis arcem egreſſus, qui, de clauibus à Comite interrogatus, reſpondit miniſtrum ſuum illas propediem adlaturum: inſtante autem Comite & claues denuo repoſcente, Gubernator miſſo alio adlatas hiſce verbis tradidit: *Domine Imperator heic arcis claues tibi trado, quas ſatis diu mea ſub cuſtodia retinui.* Ad quæ Comes: Haſce primas eſſe quas hocce anno accepiſſet, eaſdem tamen non futuras vltimas. Cum autem Gubernator Dominum Comitem vlterius rogaret, quas igitur amplius deſideraret: Comes, Ambſtelrodamenſium claues ſibi adhuc deeſſe. Et hoc modo egreſſi ſunt. Interea autem Beringerius & VVelderus illinc tamdiu obſides relicti, donec ſubminiſtrati equi & currus Iuliacenſibus reſtituerentur.

Ante-

Antequam vero obſeſſi, eo, quem diximus, modo, egreſſi eſſent, prius ſubſequentes conditionales articuli vtrimque concluſi atque confirmati fuerunt: *Anno 1622.* *Deditionis Iuliacenſis vtrimque confirmati conditionales articuli.*

I. Relligio in hodierno ſuo exercitio immutata permaneat.

II. Gubernator vrbis, Capitanei, Officiales & milites, quemadmodum etiam & omnes alij, qui iam in vrbe Generalium Dominorum Ordinum ſtipendia ſequuntur, ſine exceptione perſonarũ, ſiue illæ antehac Regi Hiſpaniarum, vel Archiduci Alberto, aut alij cuidam principi militauerint, liberi, explicatis ſignis, armis, ardentibus funalibus, pilis in ore, & tympanis ſonantibus dimittantur: ſimiliter & omneis ipſorum vxores, familiæ, mpedimenta, equi, currus, omnium tam mortuorum, quam fuga elapſorum aut ægrotorum militum arma, adeo vt de hiſce omnibus nulla inſtituatur inquiſitio, pari licentia egrediantur.

III. Vna cum Gubernatore ſimul ſummo rei tormentariæ præfecto, eiuſdem adminiſtris, fabris lignariis, aliiſque id genus operariis egredi fas eſto.

IV. Gubernatori, Officialibus, & omnibus Capitaneis egredientibus equi & currus, ad impedimenta ſua Neomagum euehenda, ea lege concedantur, vt illi iterum impediti remittantur.

Anno 1622.

V. Modo dicto Gubernatori, Officialibus,& omnib. Capitaneis eorundemue militibus,absque vlla vllius personæ exceptione,tutus commeatus præstetur,ne sub itinere Neomagum vsque, ab Hispaniarum Regis, Brabantinis, vel aliorum Principum confœderatorum militibus infestentur.

VI. Si forsitan ægroti simul cum cæteris egredi non valeant, tum in vrbe rellinquantur,& nulla molestia,vel iniuria adficiantur, vsque dum pristinæ suæ sanitati restituantur, qua impetrata, ipsis similiter, quemadmodum & relliquis,currus &equi ad deductionem concedantur,liberique etiam Neomagum vsque dimittantur.

VII. Officialibus,militibus, tam equitibus,quam peditibus, immobilia bona hisce in terris possidentibus, atque etiamnum in vrbe commorantibus, absque vlla molestia vendere, distrahere, paterna bona, reditus & suppellectilem aliaque mobilia secum auferre aliaque in loca transportare fas esto.

VIII. Officiales & milites, tam equites quam pedites, qui hactenus in oppidulis, castellis,arcibus,aliisque finitimis circumiacentibusque in locis circa præsidia distributi fuerunt,vxores, liberos, aliaque sua mobilia illinc post se relliquerunt, sub durante ista capitulatione, libere atque impedite in vrbem inferant.

IX. Gu-

IX. Gubernator, & Capitanei, ſub iſto ſuo egreſſu, omnem munitionem bellicam, omniaq; adhuc reſidua frumenta, tam in vrbe, quam in arce, auehere, atque per alias artes abalienare prohibeantur. Anno 1622.

X. Similiter quoque Gubernator atque Capitanei nulla ſcripta, litteras vel ſigilla, vrbem, vel Ducatum Iuliacenſem concernentia, vel aliud quiddam, in damnum detrimentumque Ducum Iuliacenſium vergens, ſecum auferant, ſed ad id negotium deputatis tradere tenebuntur.

XI. Nulli Officiales vel milites, debitorum cauſſa, vel quocunque alio prætextu id fieri queat, Arreſto detineantur, ſed creditores chirographo, breui tempore debitum ſoluendi, contenti ſient.

XII. Omnes lecti, eorundemque neceſſarij apparatus, à militibus extrinſecus in vrbem comportati, iis, ad quos pertinebunt, reſtituentur, nec Capitanei vel Officiales, eius rei gratia, iam, aut impoſterum, moleſtentur.

XIII. Omnes Officiales atque miniſtri Electoris Brãdenburgici, adhuc in vrbe commorantes, cuiuſcunque ſtatus atq; conditionis etiam illi fuerint, niſi in fungendis ſuis muneribus ita rellinquantur, intra vnius anni ſpatium negotia ſua expediant, ſiue illa officia, vel res ſuas priuatas concernant, nec in-

Anno 1622. tra constitutum tempus aliis rebus minime onerentur.

XIV. Omneis ciues & inquilini ciuitatis, ex vrbe alia in loca sese conferre volentes, domus, reditus, mobilia vel immobilia bona sua intra vnum annum vendant aut transportent, idque absque vlla interiecta remora vel impedimento.

XV. Articulis hisce subsignatis, Gubernator & Capitanei, duos ex suo medio obsides Domino Comiti tradere tenebuntur, qui tam diu in vrbe commorentur donec articuli, Gubernatorem atque Capitaneos concernentes, in ipsum effectum deducti fuerint. Vice versa Dominus Comes, ante egressum obsessorum, duos Capitaneos Gubernatori obsides tradat, qui illic tam diu commorentur, donec omnes Officiales atque milites Neomagum vsque peruenissent.

XVI. Omnibus autem nunc commemoratis articulis subscriptis, & obsidibus vtrimque datis, Gubernatori & Capitaneis peculiarem quamdam personam ad Principem Auraicum mittere liceat, idque hunc potissimum in finem, vt, nisi intra 12. dierum spacium realis succursus, & ccc. curruum commeatus in vrbem mitteretur, vel etiam forsitan legatus non reuerteretur, vrbs tum absque vlla mora dederetur.

Ita

Anno 1622.

Ita conclusum sub Domini Comitis, Gubernatoris, atque Capitaneorum subsignationibus, 22. die Ianuarij ANNO CHRISTI REDEMPTORIS NOSTRI VNICI M. DC. XXII.

Henricus Comes Bergensis, Fredericus Pitsau, Thomas Follerus, Philibertus VVellerus, L. Assale, Ianus à Bracheln, Ianus Beringerus, Henricus Haltonus, Reuirius Scaapus, Ianus Schimmelpfenningius, Robertus Scotus, Iacobus Asteleijus, Antonius Schlingeskijus, H. Hackvveelus, Andreas Vizalones, Gerardus Saluebotus, Philippus Balthone, Alexander Monrealius, Iacobus Sarckius & alij plures.

Thesaurus Pragæ repertus.

Eodem hocce mense Pragæ puer quidam thesaurum, in latrina, salua lectoris venia, quadam occultum detexit, qui, ob thalerorum Imperialium aliorumue Clenodiorum valorem, CL. florenorum M. æstimatus, fisco Cæsareo addictus est.

Pacis Hungaricæ publicatio, eiusdemque articuli.

Postquam, Deo Ter Optumo Maxumo clementissime annuente, in Regno Hungariæ, exoptatissima gratissimaque pax optuma rerum inter Cæsaream suam Maiesta. GABRIELEM BETHLEHEMVM, & Ordines tamdem aliquando transacta fuisset, eapropter illa, ad cuiusuis

Anno 1622. notitiam, 26. die Ianuarij personantibus tympanis Beijoæ solenniter publicata est: quod sane apud quosuis vere pacis amantes ingentem lætitiam excitauit: cuius subsequentes ferme fuere articuli.

I. Cæsarea sua Maiestas omnibus & singulis generalem admissorum veniam vel condonationem clementissime imperti-ret.

II. Gabriel Betlehemus, Transiluaniæ Princeps, Titulo Regio renunciaret, coronam Regiam, arcesque limitaneas intra 18. dierum spacium Cæsareæ suæ Maiestati restitueret, ex Hungariæ Regno secederet, atque contra eamdem Cæsaream suam Maiestatem laudatissimamque domum Austriacam nihil amplius moliretur, vel attentaret.

III. Vice versa Cæsarea sua Maiestas Betlehemo titulum Imperij Principis, 8. comitatus, vna cum ipsa vrbe Cassouiæ ad dies vitæ concedere promisit.

IV. Pari modo eadem Sacratissima Cæsarea Maiestas eidem Betlehemo Transylvano 2. in Silesia Principatus, Oppelensem videlicet & Radiborensem, quemadmodum & dominia atque arces, Monchatsium, Toccaijum, Zagmarium, & Eschetum, pro certa quadam pecuniæ summa, & vlterius, ad persoluenda militibus præsi-

diariis

Anno 1622.

diariis in iisdem arcibus stipendia, 50.|florenorum M. ex Imperij contributionibus (hac tamen cum conditione, vt præsidiarij isti milites non tam Cæsareæ suæ Maiestati, quam ipsi etiam Betlehemo consuetum iuramentum præstent) clementissime conferre est pollicita.

V. Regia Corona, vsq; ad futurũ prouincialẽ conuentũ, in arce Trinchinia custodiatur: in quo conuentu omnia ẽt Regni Hungarici onera atq; grauamina, vna cũ tractatione de Germanis, num videlicet illi admittendi sient, nec ne, differantur.

VI. Negotium Relligionis, in dicto isto Prouinciali conuentu, veluti à Cæsareæ suæ Maiest. felicissime inchoato imperio, immutatum permaneat. Iesuitæ iterum admittantur, bona mobilia tamen possidere prohibeantur.

VII. Oppignorata bona vsque ad futurum Prouincialem Conuentum possessoribus modernis rellinquantur, tum vero ære redempta prioribus suis Dominis restituantur: donata autem bona absque vlla mora per certos ad negotium illud deputatos Cõmissarios, pristinis suis possessoribus iterum tradantur.

Paullo post, loco & nomine Cæsareæ suæ Maiestatis Dominus Prouincialis Marescallus Christophorus Sigefridus Preynnerus,

Extractus ex Cæsarea Viennensis Prouincia-

Anno 1622. rus, omnibus & singulis inferioris Austriæ Ordinibus Prouincialibus pacem inter Cæsaream suam Maiest. & Gabrielem Betlehemum conclusam annuntiauit.

lis Conuentus propositione.

II. Duplicem pensionem, nimirum 138. florenorum M. petiit.

III. Ad Prouinciæ defensionem II. peditum M. circa peculiaria signa, & III. equitum cohortes efflagitauit.

IV. Ad assecurationem itinerum, &

V. Nusdorffensem foueam aquatilem 30. florenorum M. postulauit.

VI. Quadragintadialis Senatus, &

VII. Politiæ, Iudicij tabulæque Prouincialis promotionem rogauit, &c.

Saxonici in Comitatu Glatzensi caduntur & fugantur.

Circa idem ferme tempus Equitum tribuno Bernstadio, & Adamo Adriano VValluitio Capitaneo Comitatum Glatzensem ex insidiis petentibus, subditi quidam Glatzenses, eius rei certiores redditi, illud præsidiariis Glatzensibus significarunt: qui ex arce in vicinum pagum egressi, Saxones vndique circumdatos in tantas angustias coniecerunt, vt etiam prænominatus iste equitum tribunus, amissis 3. equis, sese in fugam coniicere necessum habuerit: Capitaneus vero, amissis ex suis L. militibus Glatzam versus captiuus deductus est.

Interea Sigismundus Bazo Losensteynius Se-

us Senior, olim Marescallus Aulicus, & Euangelicæ Relligioni addictus, vna cum aliis Euangelicis Proceribus Romano-Catholico more confessus S. Viatici SVB VNA particeps factus est. Anno 1622.

Interea Christiano Duce Brunsvvicensi atque Episcopo Halberstadiensi ab Anholtino Comite ex Hassiacis finibus repulso, in Vestphalia turmas siue cohortes suas equitum mirum in modum auctiores reddidit: eapropter miseros inquilinos male mulctauit, omniaque circumiacentia loca infesta reddidit, Lippstadium, Susatum, VVerlam, Padebornam, & Brachelam vero omnino occupauit.

Halberstadianorum in Vestphaliam hostiles incursiones.

Circa Februarij Mensis initium Baro à Dona cum Silesiacis, & Boderhusius cum Saxonicis militaribus copiis Freuvvdenthalam, alter VVagestadium oppugnare cœpit. Perpauca autem deliberatione præmissa Iagerndoffiani præsidiarij VVagestadium dederunt, vexilla lacerarunt, & sic dimissi singulari iuramento sese obligarunt, ne videlicet intra 6. mensium spacium aduersus Cæsaream Maiestat. Electorem Saxoniæ, & Bauariæ Ducem militare vellent: quemadmodum etiam non minus vnius Signi Marggrauiani milites, non

Iagerndorfsianus exercitus partim dispergitur, partim dimittitur.

Anno 1622. procul à VVagestadio in præsidiis collocati, Boderhusiano cuidam illuc misso Capitaneo, absque vlla tergiuersatione & resistentia sese illico dediderunt, & aliorum exemplo pari Sacramento & Iuramento militari sese obstrinxerunt. Interea vero Boderhusius, occupata Freuwdenthala, iunioris Comitis à Thurn coniugem cœpit: quo facto aliquot Reinerstadiani equites fuga dilapsi cum iuniore Comite à Thurn Glatzam versus sese contulerunt. Nec cessarunt interea Inlustres illi duo Cæsareani belli Duces, Dona & Boderhusius nimirum, sed Oderam vsque progressi vrbem ipsam, atque vna 6. signa peditum deditione cœperunt, cuius fama cum apud cæteros quoque percrebuisset, omnes simul Marggrauiani præsidiarij, vna cum Comite Ortenburgio, 12. cohortium Ductore, sese dediderunt, superiora arma belli Ducibus tradiderunt, &, vti priores, iuramentum nouum præstiterunt. Atque hoc modo Iagerndorffianus exercitus dispersus, atque, cum summa erga suum Dominum lamentatione atque indignatione, dimissus est. Iunior Comes à Thurn vero, amissis ex suis D CCC. militibus iterum Glatzam versus sese recepit. Maiorem autem harum rerum gestarum explicationem, mox subsequutura ipsius Boderhusij ad Serenissimum Dominum Electorem Saxoniæ,

Achillem

Achillem nostrum, scripta epistola suppeditabit, ad quam beniuolum lectorem nunc remittimus. Anno 1622.

Quemadmodum omnibus ferme locis, & passim gentium, ob nimiam monetæ deprauationem, omnia commercia impediuntur, vel tamen eiusdem intolerabiles auctiones atq; duplicationes suam exinde trahunt originem, ita in Polonia quoque contagiosa ista lues tam altas radices egit, tamque late serpsit, vt istis in prouinciis, ob victualiorum aliarumque mercium duplicatum, vel quandoque triplicatum etiam pretium, summa annonæ caritas exstiterit, eapropter nulla pecuniæ, Silesiacis quadrantibus & tricrucigeris qui ex vniuerso Regno relegati, exceptis, ex prouinciis auectio, sub pœna corporis, admissa est. *Rei monetaria in Polonia confusio.*

Eodem mense, & quidem die 9. circa 8. & 9. horas, Pragæ à magna populi frequentia vtriusque sexus & ætatis hominum tres in cœlo soles & totidem irides, Sole naturali alias tamen simul clare & serene micante, conspecti sunt. *Tres in cœlo Soles & totidem irides conspecti.*

Vehementia frigoris quoque paululum remittente, & Rheno iterum aperto, tanta fluuij istius inundatio subsequuta est, vt per eandem in Belgio multi homines in agris hincinde misere aquis submersi, & iisdem irrecuperabilia aliquot auri tonnis æstumata *Inundatio Rheni.*

Anno 1622. illata fuerint. Ciues Mœsenses ex instanti periculo cum suis in valla vrbis confugientes vitæ atque incolumitati sui prospexerunt.

Styrumbiani ab Anholtinis caduntur, &c.

Similiter & circa idem illud tempus, Anholtino Comite Attendonam vsq; cum exercitu suo progresso, Styrumbiani equites Anholtinos, de itinere adhuc fessos, ex improuiso obruere conati, eumq; in finem vsq; ad Brielam pagum iisdem obuiam progressi sunt. Postquam autem illius rei Anholtini certiores redditi fuissent, Anholtinus missis Crabatis in pago quodã dictos istos Styrumbianos equites inopinato adorti vltra c. ex iisdem mactarunt, ipsius Styrumbiani Comitis Supremum Locumtenentem, vna cum aliis Officialibus cœperunt, equis aliaque opima præda tum temporis potiti sunt.

Tumultus aliquot vrbium ex corruptione monetæ exortus.

De magna ex monetæ deprauatione in Polonia exorta confusione paulo ante diximus. Postquã igitur corruptissima ista lues omneis ferme prouincias infecisset, & populum nimis concitasset, eo quod necessaria vitæ subsidia sibi cottidie eo magis magisque subtrahi animaduerteret: eapropter hocce tempore Goslariæ, Hallæ, Freyburgi, Magdeburgi, aliisq; in locis plebs commota in ædeis monetarias impetum fecit, & Magistratibus dira quæque interminata est. Magdeburgenses vero occlusis portis tantam in vrbe intemperiem excitarunt, vt, sub isto tumultu, non

pauci

pauci ſane trucidati fuerint. Quocirca Magiſtratus permotus facto decreto thalerum pro 24. groſſis, Sexbacenarios pro vno groſſo, tribacenarios pro 6. numis, & tricrucigeros pro duobus numis æſtumarint: Quo facto miſeri ſubditi ab ingenti illegitimaq; annonæ caritate, ex mera nequitia vſurariorum monetariorumque exorta, iterum liberati ſunt, & vice verſa omnium rerum vilitas ſubſequuta eſt. Anno 1622.

Paulo poſt 20. Pfaffenmutziani equites ab 80. Siburgenſibus equitibus in aperto campo hoſtiliter impetiti 4. ex ſuis amiſerũt, 6. grauiter ſauciati, cæteri captiui vero perſoluto lytro iterum abſque vlla mora tum temporis liberati fuerunt. Pfaffenmutziani igitur, vt par pari referrent, ex propugnaculo egreſſi in reditu 10. ad Abbatem Siburgenſem ſpectantes egregios equos ſecum adtulerunt. Cum etiã ex templi Gerechenſis turri propugnaculum grauiſſime infeſtari potuerit, eapropter illa, ex Gubernatoris Conſiliique bellici decreto, 4. pulueris tormentarij tonnis ex fundamento iterum confracta atque demolita fuit. *Res ante Pfaffenmutzium geſta.*

Cæſaream Maieſtatem, Ferdinandum II. cum Ducis Mantuani ſorore, Donna Cleonora, connubiale fœdus iniiſſe, ſuo loco diximus. In celebrando autem iſto feſto Nuptiali Cæſar. ſua Maieſtas, pro diſcretione ſua prudentiſſi- *Cæſar, peractis nuptiis Salisburgi & Vienna magnifice excipitur.*

Anno 1622. dentiſſima, tempori inſeruiendo, omni ſuperflua pompa neglecta, ſaltim opiparum conuiuium, egregiā Muſicam & vnas dumtaxat choreas veſpertinas celebrari curauit, diuino cultui autem cottidie ante omnia, atque adeo in ipſo progreſſu, interfuit. Extra iuniorem Ducem Mantuanum, & iuniorem Principem Anhaltinum, clementiſſime paulo poſt à Cæſarea ſua Maieſtate iterum dimiſſum, nullus Princeps Cæſareis iſtis Nuptiis interfuit. Idem quoque Anhaltinus, vna cum ipſo Mantuano Duce, non tam ipſi Imperatori, quam Imperatrici, ante & poſt ſolemne conuiuium Cæſareum, ad manuum lotionem operam ſuam locauit, non tamen, veluti Mantuanus, eodem conuiuio exceptus eſt. Nuptiis autem peractis, poſtquam Cæſarea ſua Maieſtas Salisburgum perueniſſet, à Dom. Archiepiſc. inibi ſplendido equitatu, lectiſſimis peditibus, lętis crebriſq; tormentorū diſploſionibus magnifice excepta eſt, atq; hiſce beneuolentiſſimæ erga Cæſ. S. M. intentionis atq; adfectionis indiciis ſeſe perquam gratum acceptumque reddidit: & ſane exoptandum foret, vt & alij S. Rom. Imperij Ordines quoque eandem Cæſareæ ſuæ Maieſtati deuotionem exhiberent: quo facto, & ipſorum capite decenti erectoque more incedente, procul omni dubio tum & vniuerſum corpus priſtinam ſuam valetudinem

nem iterum impetraſſe appareret. Paulo quoque poſt, & quidem 15. huius menſis Februarij die, Cæſarea ſua Maieſtas Medlingæ, duobus à Vienna milliaribus, pernoctauit, & poſtridie poſt meridiem, circa horam 3. vna cum Domina Cæſarea ſua coniuge, iunioribus Dominis Principibus & Principiſſis felicibus, vti aiunt, auibus Viennam peruenit: vbi Cæſareus ingreſſus ſequentem in modum feliciter quoque peractus eſt. Poſtquam enim Cæſarea ſua Maieſtas à Viennenſibus adhuc è longinquo conſpecta fuiſſet, tum illico maiora in vrbis propugnaculis tormenta diſploſa, & milites pedites à porta raparum vſque ad arcem decenti ordine collocati ſunt. Dein Conſul Daniel Moſerus, præcurrentibus rubro veſtitu indutis ſatellitibus ſclopetariis, nigra holoſerica argenteis fimbriis exornata toga amictus ſub ipſam vrbis portam eques ſeſe contulit, cuius imperium ſex ſubſequentes perſonæ, itidem nigris holoſericis togis & flauis ſignis campeſtribus indutæ in equis præſtolatæ ſunt. Pari modo & 74. minores pueri, nigro flauoque colore diſtinctim amicti, ad portam vſque deducti Cæſareum aduentum inibi expectarunt: quorum ſinguli quidem ab initio album ardentemq; cæreum in manibus ſuis geſtarunt, qui tamen ante Cæſareæ ſuæ Maieſtatis ingreſſum, ipſis iterum adem- Anno 1622.

Anno 1622. ademptifuerunt. Ante eamdem Cæsar. suam Maiest. 6. equitum turmæ cum tympanis & tubicinibus equitarunt quos aliquot ciues, Cæsarei Officiales, aliiq; inquilini cum peculiari volante signo subsequuti sunt. Hos sequebantur Proceres & equites Prouinciales, illos vero Cæs. suæ Maiest. tympanistæ, tubicines, & equi Cæsarei singuli pretiosissimis intertextis ephippiis aliisq; ornamẽtis amicti: post hosce incedebant pueri nobiles, quorum vnus Cæs. suæ Maiest. galeam & picam, alter eiusdem loricam gestitabat. Postmodũ multi ex equestri Ordine intimi Consiliarij, Cubicularij, aliiq; præcipui Officiales Cæsar. secuti sunt: illos ordine sequebantur Heroldi siue fæciales in consueto suo habitu, & Marescallus aulicus Dn. Vvolfgango-Sigismundus Losensteinius stricto ense, post illum Cæsar. suæ Maiest. filius natu grandior, Dn. Leopoldus Ernestus cærulei coloris holoserico vestitu indutus incessit. Ad portam cum deuẽtum esset, loco & nomine Senatus per Archigrammateum compellati & excepti, dein' à Senatorib. singulis nigra holoserica veste & aurea catena indutis, sub aurea violacei coloris vmbella, consule per pedes ipsos præcedente, in vrbem comitati sunt. Hosce confestim Cæs. coniunx, in flaui violaceiq; coloris, auro argentoq; hinc inde & trãsuerso ordine intertexto curru vecta, aureaq; veste egregie splendi-

ſpendideq; amicta ſequuta eſt, iuniore Principe Cæſareo, D. Carolo Guilielmo, & ſimul duabus Cæſareis Principiſſis eidem Cæſareæ coniugi à dextris & ſiniſtris adſedentibus: ſupra currus vmbellam aquila expanſis alis cõſpecta, poſt eundẽ currum autem Imperatricis aulæ Magiſter, Dn. Comes Diethrichſteinius ſolus equitauit, circa currum paullo ante dicti 74. pueri, & ſimul Cæſarei Satellites ordine incedebant, poſt Diethrichſteinium autem Cæſarei Hartſchirij eques, eoſdẽ vero iterum aliquot equitum turmæ ſubſequutæ ſunt. Poſtquam autem Cæſ. ſua Mai. commemorato modo atq; ordine in vrbẽ comitata fuiſſet, maiora tormenta tũ ſecũda vice iterũ exonerata ſiue diſploſa ſunt Ad S. Stephanum cum peruentum eſſet, Cæſ. ſua Maieſt. vna cũ Domina coniuge, iunioribus Dominis Principibus & Principiſſis Cæſareis, à Clero honorifice excepta, & alia ſub vmbella in dicti Diui templum comitata, inibique ſacer DD. Ambroſii & Auguſtini hymnus cantatus, & ſuauiſona Muſica peracta eſt. Præmiſſa ſalutatione Clerus, poſt factam Cæſareæ ſuæ Maieſtati gratulationem, eam ſub vmbella ad finem Freithouii vſque denuo comitatus eſt, vbi Senatores ſua vmbella Cæſaream ſuam Maieſtatem iterum exciпientes, eamdem priori commemorato ordine

Anno 1622.

dine

Anno 1622. dine ad aulam Cæſaream vſque comitati ſunt, in qua Gynæceum magno numero Cæſareæ coniugis aduentum præſtolatum eandem honorificentiſſime excepit. Ingruente autem fœda pluuiali tempeſtate tormenta non amplius diſploſa ſunt, ingreſſus tamen ille Cæſareus alias feliciter peractus, & tandem circa finem menſis huius Februarij geniales ignes accenſi & maiora tormenta in omnibus vrbis propugnaculis denuo diſploſa ſunt.

Boderhusi ad Sereniſs. Dom. Saxoniæ Septemvirum littera.

Antequam autem commemorata iſthæc omnia in Belgio & Auſtria agerentur, Boderhuſius ſtrenuus iſte belli Dux Saxoniæ interea ſequentẽ epiſtolam ad Sereniſs. noſtrũ Achillem Teutoni-Saxonicum ablegauit:

Sereniſſime Celſiſſimeque Princeps Elector, Domine clementiſſime. Sereniſs. V.ræ Cel. humillima obſequioſiſſimaque mea officia, &c. Etiamſi antidhac Sereniſs. V.ram Elect. Celſit. certiorem reddiderim, negotia hiſce in terris cum Marggrauianis copiis militaribus noſtra quidem ex parte circa tractationem verſari, vt ita modo dictæ copiæ pacifice dimitti potuerint, nihilominus tamen iſta tractatio interea in fumum abiit, ſiquidem Marggrauiani officiales bellici tam iniquam fecere poſtulationem, vt eandem, abſque læſione S. Cæſ. Maieſt. ſummæ exiſtumationis, atque ingenti principum Ordi-

Ordinumq; Silesiacorum damno siue detrimento præstare nec velimus nec possimus. Anno 1622.

Quoniam vero Sereniss. Vestr. Elect. Cel. meæ fidei concreditus exercitus hisce in locis pabulo & annona caruerit, ego quoq; veritus fuerim, me tamdem ex isto defectu necessario secessionem facere coactum iri, id quod in summum hostis nostri commodum atq; emolumentum cessisset, eapropter, ad tanta mala auertendá, multo potius honeste mori, quam turpiter cedere satius esse duxi & tamdem, cum Capitaneo Dona, aliisq; Officialibus Silesiacis bellicis communicato consilio, milites nostros, quantum quidem tum temporis ex pręsidiis carere datum fuit, coniungere, atque hostem adoriri placuit.

Quem in finem etiam 16. huius mensis die ante Troppauiam conuenimus, illaq; nocte circa horam 10. cum 15. equitum, & totidem peditum cohortibus, vna cum 4. tormentis, per noctem istam integram, niuis frigorisq; vehementiam minime veriti progressi, & circa 6. horam matutinam in altum ante VVagestadium peruenimus. Quoniam autem relliquos Officiales, tormenta atq; militum cohortes lógo post nos interuallo relliquissemus, ex aliis auté ego intellexissem iuniorem comitem à Thurn, vna cum sua cõiuge, 2. equitum turmis, & totidem peditum vexillis in ista vrbe commorari, eapropter veritus

Anno 1622. ne forſitan illi, ſi videlicet longiorem moram necterem, aufugerent: citis itaque itineribus meis cum equitibus vrbis portas vndiq; tam arcte circumſedimus, vt nemo illinc egredi potuerit: relliquis autem cohortibus aduentantibus, miſſo tubicine vrbem mihi dedi poſtulaui. Poſtquam vero Trãdorfius, ſupremus vigilum præfectus, qui, abſente Comite Terſchinumq; ad expedienda quædam negotia profecto, vrbis cuſtodiam tenebat, reſpondiſſet, ſeſe non loco præfectum eſſe vt vrbem dederet, & ea ipſa de cauſſa, tamquam fortem militem, ſeſe defendere vellet, eapropter abſq; vlla mora ſuburbia occupauimus, &, diſploſis noſtris tormentis, ſuperiorem portæ munitionem infeſtauimus, vbi ſane obſeſſi, fortiter ab initio reſiſtentes, nobis duorum minorum tormentorum crebris exploſionib. minime pepercerũt. Interea meus Locumtenens, capitaneus VVacha, me certioré reddidit, Nicolai Rhorij vexillum duobus ab vrbe milliarib. in pago quodam commorari. Cum autem, alienis tum tẽporis negotiis occupatus, ipſe illuc proficiſci non potuerim, iccirco modo cõmemoratum meum Locumtenentẽ cum cxx. equitibus, & L. militibus ſclopetariis ad illud negotiũ expediendũ, ablegaui, de cuius aduentu ſignifer iſte certior fact⁹, illico ſeſe ac ſuos milites Locũtenenti meo dedidit, qui eoſdẽ mihi adtulit: poſitis igitur armaturis ſuperioribus, eoſdẽ

iurare coegi, ne videlicet, intra 6. mensium spacium, aduersus Cæs. suam Maiest. Sereniss. Vestr. Elect. Celsit. Ducem Bauariæ, aliosque Principes & Ordines Silesiæ arma ferre velint, vexillum vero signifero illi ideo relliqui, quod illudipsum illi à meo Locumtenente promissum fuisset. Circa vesperam obsessi, tormentis nostris denuo infestati, sese ita resoluerunt, sin nimirum ipsis admissorum venia, & libera exeundi facultas permitteretur, tum sese, absq; vlla mora, mihi dedituros esse: quo impetrato postridie diei Lunæ, lacerato prius vexillo, positis armaturis superioribus, &, more aliorum, consueto iuramento præstito, egressi sunt.

Hisce commemorato modo feliciter peractis, 18. huius mēsis die Oderam versus nosmet conuertimus, qua in vrbe 4. equitum, & 3. peditum cohortes in præsidiis commorabantur. Cum autem vrbem vsq; ad dimidium miliare adtigissemus, Officiales dictæ vrbis, misso tubicine sese pariter resoluerunt: Sin videlicet illudipsum, quod VVagenstadensibus factum, præstari debeat, tum sese itidem accommodaturos esse: quo facto egressi idem, quod cæteri, lubentes præstiterunt.

Sub eandem istam noctem Comes Ortenburgicus eiusdemq; 12. cohortes ad idē præstandum sese obtulerunt, ex quib. postridie 6. sumō mãe sese nobis stiterūt, &, aliorū more,

Anno 1622. consuetum iuramentū præstiterunt: Comes vero 6. peditum signa, suamq; equitum turmam Tetschini Sacramēto militari absoluit, vexillaque lacerata hinc inde dissipauit, & illinc digressus est; quos cæteri omneis intra biduum subsequuti sunt, quemadmodū etiam ambo Capitanei, Spec & Loohusius nimirum, vna cum suis cohortibus, idem, quod relliqui, nobis abunde præstiterunt, adeo vt, intra 5. dierum spacium, 40. equitum peditūque hostiles cohortes à nobis dissipatæ fuerint.

Restant itaq; adhuc tres cohortes, quarum vna ad Cæsareanorum partes transiit, altera cum iuniore Comite à Thurn Glatzam versus sese contulit, an pertransierit incertum: vnum similiter vexillum Freuvvdenthalæ commoratur, Capitaneus Bauberus vero, quamprimum modo quemquam missuri simus, deditionem tum sese facturum & Cæsareæ deuotioni submissurum esse sponsionem fecit: qua de caussa hoc ipso mane equitum peditumq; cohortem illuc in præsidiū misi. Et hoc modo, Dei Ter Optum. Max. gratia & clementia, vniuersa hæcce prouincia, arce Glatzensi duntaxat excepta, à Marggrauianis militaribus copiis iterum liberata est, adeo vt de nullo heic amplius hoste mihi constet. Deus Ter Opt. Max. faxit vt res cum arce Glatzensi similem euentum sortiatur.

Cum

Anno 1622.

Cum etiam hostis, vti à principio harum litterarum dictum, tam iniquam prorsus postulationem fecerit, seseque ante nostram expeditionem nobis nondum accommodauerit, itaque restantia ipsius stipendia inhiberi curaui, adeo vt hostes isti ne obolum quidem à Morauis & Silesiis accepturi sient.

Quicquid denique Elect. Vestra Cel. mihi clementissime mandauerit, in eo me prõptissimũ paratissimumq; semper deprehendet, nec vmquã meo defuturus sum officio. Nunc ad hospitia propero, omnibusq; locis ab hoste antea possessis præsidia Silesiaca imposui. In illa expeditione omneis & singuli acerrimam frigoris vehementiam in montanis istis passi sumus cum qua miles adhuc diu cõflictaturus est. Id quod Electoral. Vestram Cel. latere nolui, &c. Dabantur Oderæ 3. Februar. A.C. MDCXXII.

Mansfeldianorum in Alsatia petulantia.

De Mansfeldicarum militarium copiarum in Alsatiam facta incursione supra parumper diximus. Postquam autem eædem, vti similiter suo loco dictum, tam insignem vrbẽ Hagenoam adeo facile occupassent, vtrimq; interea aliquot velitationibus pugnatum est, nunc his, nunc illis victoriam obtinentibus: cumprimis vero circa finem huius mensis C. cataphracti equites, & totidem milites sclopetarij, contra CL. & forte LXXX. VVolfsheymiæ commorantes milites Mansfeldianos

Anno 1622. exDachsteinio excursionem fecerunt, illosq; hospites adeo exceperunt, vt ex Anglis duntaxat 6. ex Belgis & Hollandis autem 30. vita salua euaserint. Itaque Dachsteiniani, penes cc. equos multosq; currus, opima tum temporis præda potiti sunt.

Vt autem Mansfeldiani vice versa hosti par pari referrent, non procul à Vveissenburgo, in pago Schonenburgensi, ad Quæsturam Hagenoensem spectante, omnia pecora miseris agricolis abstulerunt, templum eorumdem spoliarunt, vaccam ante mactationem, instar Communicantium, circum altare duxerunt, sumptamq; ex capsula monstratoria hostiam vaccæ blasphemis admodum verbis ori immiserunt, eandemq; denique dissecto collo mactarunt, quemadmodum etiam, media inter Hagenoam & Argentinam via, insignem quamdam statuam, Christi cruci adfixi imaginem præseferentem, mutilatis prius eiusdem manibus & pedibus, ad arborem suspenderunt Quoniam autem tam nobilis frugiferaque admodum prouincia adeo miserum in modum incendiis, aliisq; deuastationibus, desolatur & in cineres fauillasque redigitur, iccirco inter Hagenoam & Alsatiæ Tabernas, ad 13. milliaria nullus amplius reperitur agricola, pagi, nondum in cineres redacti, desolati cernuntur, in iisdemque adhuc pecora fame extincta reperiun-

periuntur, quæ ſane agricolarum lamentabilis & deploranda miſeria numquam verbis condigne prædicari poterit. Anno 1622.

Circa idem ferme tempus præcedentis menſis Ianuarij Bauari, ope auxilioque Herbipolenſium militarium copiarum, ſub ſtrenuo belli Duce Truchſeſſio, arcem Vtzbergenſem, quam Iulius à Tham Electoralis Palatinus Neohayniæ præfectus, cum LX. conſcriptorum militum & aliquot agricolarum præſidio, tum temporis tenebat (*in qua arce eiuſdem olim præfectus Nobiliſsimus, Magnificus, Strenuus atque literatiſsimus, Dominus Ian-Bernhardus à Grorod, me LVNDORPIVM, vna cum Nobiliſsimo meo diſcipulo PHILIPPO-FRANCISCO à Grorod, EGENOLPHI filio, P.m. per triduum & liberaliter habuit & tractauit, cui Hero etiamnum heic, oblata hacce occaſione, immortale gratitudinis monimentum erectum volo*) per aliquot ſeptimanas diuerſimodis anguſtiarum mediis coanguſtauit. Obſeſſis autem fortiter maſculeque ſeſe defendentibus, centeni aliquot Bauaro-Herbipolenſium occubuerunt. Poſtquam vero Bauarici bene animaduertiſſent, arcem iſtam, abſque ſumma violentia, occupari minime poſſe, iccirco maiori militum numero longioribuſque ſcalis oppugnatoriis adductis

Vtzberga à Bauaro-Herbipolẽſibus occupata.

A.C. MDCIV. à X. vſq; ad 13. Nouemb.

Anno 1622.

oppugnationem omnibus viribus redintegrarunt, factaq; ingenti ruina certam ſpem victoriæ conceperunt. Neglectis autem omnibus, in quib. verſabatur, anguſtiis & periculis Thammius forti heroicoque animo oppugnantium impetum iterum atq; iterum ſuſtinuit, donec etiam ipſi Bauarici eumdem ad tractationem inſtigaſſent, quam tamdem, nemine obſeſſis ſuccurrente, annona, aliiſq; inſuper rebus, ad tolerandam vlteriorem obſidionem neceſſariis, deficiētibus, inīit, omnibuſque impedimentis, relicta arce, auectis, alio digreſſus eſt.

Res ab Obertraudio in Briſgoia & Alſatia geſta.

Interea, & quidem circa finem nuperrime elapſi Menſis Ianuarij, Obertraudius cum ſuo equitatu in Briſgoiam ſeſe contulit, quem D. milites ſclopetarij è veſtigio quaſi ſubſequuti multas in itinere arces & oppidula occuparunt, à multis aliis vrbeculis vero, incendij minis ipſis intentatis, grandem pecuniæ ſummam extorſerunt. Eodem impetu quoque & Enſisheimium aliaque præcipua loca in Comitiis Mansfeldi, tamquam Palatini Generalis, poteſtatem deueniſſent, niſi Heluetij per delegatos ſuos illud ipſum impediuiſſent. Sed nimio frigore, & niuis abundantia Mansfeldius hoc tempore impeditus nihil fructuoſi amplius perficere potuit, ſed equitando verſus Hagenoam & exinde iterum in alia

loca

loca tempus triuit: quemadmodum etiam idem ille Obertraudius opima præda onuſtus ſeſe ex Briſgoia in Alſatiam iterum contulit. Anno 1622.

Poſtquam Inluſtriſſimus Celſiſſimuſque Princeps ac Dominus Erneſtus, S.R. Imperij Princeps, Comes Holſatiæ, Schaumburgi, & Sternbergæ, Dominus in Gömen, &c. 7. veteris, & 17. Gregoriani Styli, huius MDCXXII. Anni, ex lacrumoſa hacce miſeriarum valle, magno apud dominam coniugem, Vicarium, Cancellarium, & Conſilíarios ſui relicto deſiderio, ad beatorum conſortium & ſempiternam gloriam emigraſſet, tamdẽ 7. & 17. nuperi elapſi menſis die Inluſtris Generoſiſſimuſque Comes ac Dominus, Dominus Iodoco-Hermannus, Comes Holſatiæ, Schaumburgi, & Sternbergæ, Dominus in Gomen, Burgen, &c. ab vniuerſis Conſiliariis & ſingulis Ordinibus Prouincialibus, vnanimi omnium conſenſu, in Regentem Dominum acceptatus eſt. Deus Ter Optumus Maxumus pientiſſime feliciſſimeque demortuo Domino Principi, in magno iſto die gloriæ, lœtam è mortuis reſurrectionem, moderno regenti Domino Principi autem, eiuſdemue Celſitud. fideliſſimis ſubditis autem, omnibus in ſtatibus pacem, concordiam, omnemq; proſperitatem clementiſſime largiatur. *Iodoco-Hermannus Comes Holſatia, &c. ad Principale regimen euehitur.*

Sub menſis huius Martij initium in Italia *Roccenichi-*

Anno 1622. noua triremis ad D. Antonium, Torre di Mar in suo idiomate dicta maris fluctibus commissa, vt hoc modo armata Classem proxima quaque occasione subsequeretur. Venetiani autem interim famosissimum istum Vschochorum Capitaneum Andream Ferletictum, in Golfo Dalmatiam versus velificantem, conspexerunt: eapropter Nicolaus Gradenigus, Venetianus Patricius, modo dicti Capitanei lembum ac in eo simul præcipuum istum bannitum Stephanum Roccenuichium cœpit, eumdem securi percuti, ipsiusque caput banditorum lapidi imponi iussit.

...us securi percussus.

Res in Alsatia & inferiori Palatinatu gestæ.

Nimia autem ista, de qua paullo ante diximus, frigoris vehementia aliquantulum de nimio suo rigore remittente, Mansfeldius Hagenoam, & Lautenburgum, Spirensis ditionis, fortificare, & quidem in modo dicta Hagenoa duos duodecim propugnaculis præmunitos aggeres duci curauit. Cum vero maiorem militarium suarum copiarum partem in Palatinatum misisset, iccirco ante suum digressum vrbi Hagenoæ aliquot equitum peditumque M. præsidium imposuit: Quo facto Argentinenses fidelissime admoneri curauit, vt nimirum sibi bene prospicerent, rebusque suis probe inuigilarent, insidiis enim ipsorum vrbem peti asserendo. Quam

do. Quam ſane Mansfeldii præmonitionem Argentinenſes Domini neutiquam floccipendentes diligentiſſimas excubias egerunt &, ope Inluſtriſſimorum Principum, Ducis VVurtenbergici, & Marchionis Durlacenſis videlicet, (præſertim cum res iſta Dominos iſtos tangeret) pontem Rheni firmiſſime fortificari curarunt. Anno 1622.

Cum igitur Mansfeldius, modo iam dicto, cum exercitu ſuo in Palatinatum inferiorem ſeceſſiſſet, neminique adeo exacte ſcire licuiſſet, ad quem ſcopum illius arcus collimaret, eapropter ſupremus Locumtenens Dominus Schonbergius, Delegatus Bauaricus, Inluſtriſſimo Celſiſſimoque Principi ac Duci VVurtenbergico inter alia, loco & nomine Domini ſui Principalis, propoſuit, vt nimirum ſua Celſitu. conſcriptas ſuas militareis copias, quibus tamen alias hocce tempore minime opus haberet, cum Bauarico exercitu coniungere, eaidemque contra Mansfeldium ducere ne dedignaretur. Quoniam autem ipſius Celſitudo tum temporis prætendebat, nullam ſibi cum Electoratu Palatino (ad cuius defenſionem Mansfeldius hac vice exercitum ſuum collegiſſet) cõtentionem intercedere, &, ſi hoſtiliter quiddã aduerſus eundẽ attentaret, Vlmenſi compoſitioni aduerſari, copias

Schonbergii apud Ducẽ VVurtenbergicum facta propoſitio.

Anno 1622. copias præterea militareis istas Ordines Prouinciales conscripsisse suis sumptibus, adque nullius hominis offensionem, sed prouinciæ defensionem spectare, sine quorum (Ordinum) consensu ipsius Celsitudinem ex prouincia illas deduci non posse permittere, iccirco Bauaricus iste delegatus re infecta quidem dimissus, clementer tamen & habitus & tractatus est.

Serenissimam Inlustrissimamque Principissam & Infantissam Bruxellensem litteras intercessionales ad Cæsar. Maiest. ablegasse, eamdem quoq; laudatissimam Cæs. Maiest. Serenissimæ Infantissæ clementissime respondisse, in principio huius nostræ Historicæ continuationis diximus, illam ipsamq; Cæs. Maiest. epistolam responsoriam modo dicto in loco ordine recensuimus. Quum iccirco Cæsareæ S. Maiest. hactenus nihil magis curæ cordique fuerit, quam vt iam diu exoptata pax in S. Rom. Imperio iterum constanter propagari posset, ea ipsa de caussa non dumtaxat Cæs. sua Maiest. verum etiam Serenissima ista Brusellensis Infantissa aliquot S. Rom. Imperij Electores & Principes, præsertim vero Reuerendissimum Inlustrissimumque Principem & Dominum, Dominum Ian-Suicardum, Arichiepiscopum Moguntinum, S. Rom. Imperij Archicancellarium & Septemuirum, &c. distinctis vicibus

per

per litteras rogauit, vt videlicet pacifice tractationi, à Magno Britannicarum Insularum Rege, Generi sui caussa, in medium propositæ, personaliter interesse ne dedignaretur. Quamobrem Electoralis ipsius Cel. sese sequentem in modum resoluit: sese itidem nihil magis in votis habere, quam gratam pacem in S.Rom. Imperio Germanicæ Nationis, nullumq; omnino medium intermissurum esse, quam vt eadem iterum plantari atque imposterum constanter quoq; conseruari queat: quemadmodum etiam hunc ipsum in finem, decrepita senectute & cottidiana corporis imbecillitate nunc sepositis, isti tractationi sese in persôna propria interesse, &, quamprimum modo intellexerit Anglicanum Legatum fore in itinere, Bruxellas versus proficisci decreuisse. Anno 1622.

Mansfeldio interea circa obsidionem munitissimæ arcis Magdenburgicæ adhuc occupato, eamdem hocce mense crebris tormentorum displosionibus in magnas coniecit angustias, ipsosque Principis & Episcopi Spirensis subditos agricolas ad fodiendos aggeres coegit. Quocirca Keysersluterensium præcipui, communicato clanculum cum Mansfeldio consilio, circa DCCC. Mansfeldianos milites, ante Neapoli Nemetum aliisque circumiacentibus in locis circa præsidia distributos, in suburbium pellexerunt *Proditio Keyserslutera detegitur & punitur.*

& in-

Anno 1622. &intromiſerunt. Detectis autem maturè inſidiis, Cæſareani Mansfeldianos iſtos iterum ex vrbe pepulerunt, & confeſtim 3. ex iſtis proditoribus in crucem egerunt.

Res inter episcopum Halberſtadienſem & Anlholtinũ geſta.

Poſtquam Chriſtianus Dux Brunſuicenſis atq; Luneburgenſis, epiſcopus Halberſtadienſis, in VVeſtphalia direptionibus & incendiis omnia loca infeſta reddidiſſet, præſertim vero ante ſuam è Lippſtadio egreſſioné, Veſter-Rottam, Erguettam, Amrutham, veterem Geſeccam, veterem Rudenam, Vberbagam, præfecti Verdelenſis ædes, Pickelſheimiam omnino in cineres redegiſſet, & quemdam, Lippſtadium prodere conantem, quadrifariam diſſecari curaſſet: eapropter vice verſa Comes Anholtinus, cum ſuæ fidei commiſſis equitum peditumq; Bauaricorum copiis militaribus, ex VVetterauia in Archiepiſcopatum Colonienſem eidem (epiſcopo) intrepide obuiam progreſſus eſt, & commiſſis prope VVarburgum aliquot velitationibus, dubia vtrimq; diu fortuna, tamdem 5. Halberſtadianas cohortes, & ipſam Ducis Guardiam, fudit: quo in conflictu duo modo dicti Ducis equi ſclopetis transfixi perierũt, atq; adeo Anholtinus, vulnerato in humeris Chriſtiano, victoriam tum tẽporis obtinuit.

Mansfeldiani à Bauaricis cædũtur & fugãtur.

Mansfeldianis autem, vice verſa, hinc inde graſſantibus, diripiẽtibus, & diuerſa loca incendiis deuaſtantibus, Cæſar. Bauarici Generales

rales igitur, conuocatis ex Vvetterauia, locis Rhenanis, &c. omnibus præſidiariis, Mansfeldio circa Magdenburgenſis arcis obſidionem, vti paulo ante diximus, occupato obuiā progreſſi ſunt. Obſeſſi autē, de tanto aduentante ſuccurſu certiores redditi, circa finem huius menſis eruptione facta hoſtes in ſuperiori propugnaculo, præter omnem ſpem & expectationē, maſcule obruerunt, multos ex illis mactarunt, & cæteros à montibus in fugam coniecerunt, atque hoc modo vnum vexillum, duo tormenta, omnis generis cōmeatum, diuerſamque prædam reportarunt. Anno 1622.

Paullo ante vero idem Mansfeldius 20. equitum cohortib prope Vveingartum circūiacentibuſq; in locis conſpectus eſt: qua de re Generalis Bauaricus Tyllius, eodem in loco ex aduerſa parte hærēs, certior factus, dictos iſtos Māsfeldianos equites fortiter adortus, CC. ex iiſdem mactauit, inter alios Comitem Hardecum, ſupremum caſtrorum præfectū, CL. currus, D. equos, & aurearum argentearumq; monetarum non contemnendā ſane ſummam nactus eſt, relliquos Mansfeldianos autem, non ſecus quam etiam cæteros, in fugam coniectos diſſipauit. Quo melius commodiuſque vero Mansfeldianorum hoſtilia attentata infringerentur, eorumdemue vires debilitarentur, finitimi aliquot S. R. Imperij Principes & Comites, cum-

Anno 1622. cumprimis Elector Moguntinus, & Dominus Lodoicus Hassiæ Landgrauius ad defensionem prouinciæ, quilibet pro se suisque in specie, certam quamdam militum summam collegerunt, armarunt, in vrbibus & arcibus suis circa præsidia distribuerunt, atq; hoc modo ad contrariam hostium nemini mortalium prohibitam defensionem sese præpararunt: quemadmodum etiam, circa Aprilis initium, Cæsareanæ aliquot Austriacæ bene armatæ militareis copiæ in Palatinatũ aduentarunt, & ita Cæsareanum exercitum multo fortiorem locupletioremq; reddiderunt.

Conuentus Torgensis finitus.


Prouinciali Conuentu Torgensi quoque hoc ipso tempore feliciter ad finem perducto, eiusdem Recessus, in præsentia Serenisſ. Dn. Electoris Saxoniæ pellectus est. Quo facto, & ingenti pecuniæ summa in contributionem ab Equestri Ordine promissa, Serenissimæ ipsius Electorali Celſ. multis centenis florenorum millib. æstumatum donatiuum exhibitum, atq; tamdem exoptata pax iis in locis iterum plantata est. Deus Ter Opt. Max. omnia aduersantia corda ad debitum obsequium clementissime flectat vt imposterũ de similibus motib. bellicis scribendi nulla nobis amplius subministretur occasio.

FINIS.


mi-
de-
que
um-
us &
atq;
mini
sese
circa
stria-
tina-
erci-
red-
oque
erdu-
eniss.
uo fa-
ribu-
Sere-
ente-
onati-
a pax
Opt.
oitum
poste
i nul-

vund aengrensenten
orterrn

Wimmenau
Liechtgnberg
Ochsenstein
Bitsch
Strassburg
Nider
Born
Walg
Brompt
Pfaffenhouen
El
Stertzbrun
Wantzena
Hagenau
Werda
Offendorf
Fleckenstin
Wißbag
Sass
Alde
Forest
Drachenfelt
Lichtenau
Berbenste
Sufelheim
Sultz
Sebusiani
Falekenbur
Bemheim
Wissenburg
huchelsheim
Saletium
Seltz
Ruppenheim
Arwey
Berg Zabern
Drifels
Rastat
Luterburg
Amerweyler
Nuburg
Dantheim
Queyeheim
Landau
Milburg
Rhein Zaber
Noßdorff
Schreck
Ettlingen
Herten
Newstadt
Linckeheim
Heimbach
Graben
Ginß
Wingarte
Staffeurt
Germersheim
Die
Heydelsheim
Vdenheim
Schiff
Speir
Altaripa
Husen
Oger
Bretten
Bruchsel
Pyßloch
S Len
Eysen
Ketz
Manheim
winom
Steisberg
Rodenberg
Lymen
Heydelberg
Lade




Biblioteka Jagiellońska
stdr0030448





MERCVRIVS

Auſtro-Bohemo-Germanicus:


Hoc eſt:

RERVM MEMO-RABILIVM INTER INVICTISSIMVM ET GLORIO-ſiſſimum Ferdinandum II. Romanorum Imperatorem, & S. Rom. Imperij Principes, totoq; terrarum orbe geſtarum, ab Autumnalibus, Anni M. DC. XXI. vſque ad præſentes Nundinas Paſcales Anni pręſentis M.DC. XXII. ordine Hiſtorico contextus.

ANNI TERTII PARS PRIMA

Interprete

MICHAELE CASPARO LVNDORpio, Hiſtoriographo.



VENALIS.

FRANCOFVRTI AD MOENVM

A. C. M. DC. XXII.

